und *dei* anführen, nicht auf ihre eigene Erklärung zurückkommen und bei *dei* stehen bleiben. Da schon zu Gellius Zeit eine Verwirrung der Lesart eingetreten war, so ist nicht zu verwundern, dass selbst der Mediceus wenigstens ungenau ist. Ursprünglich hat er *de* und in rother Schrift *i* beigefügt, so dass *dei* wurde. Wo das ausgefallene *i* im Originale des Mediceus gestanden habe, kann natürlich nicht entschieden werden. Aber gerade diese Unbestimmtheit des Mediceus ist ein nicht zu verachtendes Gewicht für Gellius. Wenn nun die älteste Autorität und der Sprachgebrauch die Lesart von *dii* oder *die* als Genitiv von *dies* schützen, so bleibt die Frage, ob dieser Genitiv einen richtigen Sinn gebe. Dido schickt den Genossen des Aeneas zwanzig Stiere, hundert Schweine, hundert Lämmer und Schafe. Wie sie in Karthago zu Ehren des Aeneas ein Freudenfest feiert, so will sie auch seinen Gefährten einen „reichen Freudentag" bereiten. Diese Gegenstände, die sie schickt, sind die reichen Gaben und eine Freude des Tages, durch sie wird der Tag ein reicher Freudentag. Wenn sich so ohne alle Schwierigkeit ein ganz treffender Sinn darbietet, warum soll man an einer zweifelhaften Lesart festhalten, welche nur auf erkünstelte Weise einen Sinn bietet? Die Bedenken gegen die für *laetitia dei* angenommene Bedeutung von „Wein" sind schon hinlänglich besprochen worden. Die Annahme, dass dem Mahle doch gewiss nicht der Wein habe fehlen können, ist eine rein willkürliche und kann für *dei* keine Stütze sein. Bei Hom. Od. 8, 59—61, welche Stelle hier offenbar nachgeahmt ist, wird auch des Weines nicht gedacht, aber des „freundlichen, willkommenen Mahles." Die Erklärung, welche Henry im Philologus XI, 524 gegeben hat, nämlich dass *munera laetitiamque dei* hiesse: Geschenke und eine Freude, wie wenn sie von einem Gotte kämen, stützt sich auf eine Vergleichung unserer Stelle mit Aen. 8, 200. Die Analogie ist aber hier keineswegs so evident, als sie angenommen wird. Auch kann nicht behauptet werden,

der Dichter lege, nach einer bei allen griechischen und römischen Schriftstellern ganz gewöhnlichen Sitte, der Wohlthäterin Dido mit Schmeichelei Göttlichkeit bei, mit Bezug auf Aen. 3, 715, wo Aeneas seine Erzählung in den Worten: *hinc me digressum vestris deus adpulit oris* mit einem feinen und anmuthigen Complimente schliessen soll. Ueberhaupt dürfte es als etwas zu gewagt erscheinen, auf den kernigen Helden des Heroenalters den Maassstab moderner Feinheit anzulegen. Aeneas kann hier ebenso wenig als chevaleresker Galanthomme erscheinen, als v. 658 „in Uebereinstimmung mit der strengsten mythologischen Etikette Cupido, der Sohn der Venus und grosse Gott, zu Dido's Untergang verwendet wird.“ Also auch im Olymp schon herrschte diplomatische Etikette! Jene Sendung des Cupido ist doch ganz einfach nichts anderes, als die epische Maschinerie, durch welche ein psychischer Vorgang versinnlicht oder plastisch dargestellt wird.

36) V. 664. *Nate, meae vires, mea magna potentia solus, Nate, patris summi qui tela Typhoïa temnis.* Für die auch im Mediceus stehende Interpunction nach *potentia* ist geltend gemacht worden, dass Cupido allein die Donnerkeile Jupiter's verachte, dass er nicht die *sola potentia* der Venus sei, sowie dass die Interpunction nach *solus* die Verse matt und einförmig mache. Venus erscheint als bittend (*supplex tua numina posco*), mit inständiger Bitte geht sie in einer für sie wichtigen Sache ihren Sohn an. Daher erscheint es ganz geeignet, dass die Anrede „mein Sohn“ mit starker Betonung vorangestellt ist; gerade durch die Sellung am Anfang des Verses und eines neuen Gedankens wird die dringende Bitte mehr hervorgehoben. Diese Kraft ginge verloren, wenn *nate* nur in den Relativsatz eingeschaltet wäre. Ferner ist es immer eine Härte, wenn das letzte Wort eines Verses in der Weise zum folgenden Verse gezogen wird, dass der vorhergehende Gedanken unmittelbar vor diesem letzten Worte ab-

geschlossen wird. Gerade dadurch wird der Hexameter, dessen ganzer Charakter auf einem Abschluss am Ende des Verses drängt, zerrissen. So sehen wir Aen. 3, 433: *Si qua est Heleno prudentia vati, Si qua fides* nach *vati* in den Codices, auch im Mediceus interpungirt. Was nun den Inhalt betrifft, so lässt dieser die Verbindung mit *potentia* vielleicht besser zu, als die mit dem Relativsatz. Es kommt an unserer Stelle besonders darauf an, die Macht des Cupido in ihrer Beziehung zur Mutter hervorzuheben. Cupido ist allerdings einzig und allein die Macht der Venus nicht an sich, sondern wenn sie sich in menschliche Dinge einmischen, wenn sie auf die Menschen einwirken will; nicht sie selbst vermittelst ihrer Schönheit thut es, denn die unmittelbare, wirkliche Erscheinung der Göttin würde den Sehenden verderben, sondern Cupido im Auftrage der Mutter ist der Vermittler zwischen der Göttin und den Menschen. Cupido's grosse Macht kann jetzt allein bei Dido vermitteln, was Venus beschlossen hat. Diese epische Maschinerie heisst dann: Einzig und allein durch die Alles ergreifende Leidenschaft wirkt die Venus auf die Menschen ein, oder: Dido fuhlt in sich die mächtige Leidenschaft entbrennen. Die dringende Bitte erhält also durch diese Verbindung nicht nur einen wirksamern Ausdruck, sondern in demselben ist zugleich auch der innere Grund angedeutet, warum die Bitte so dringend vorgetragen wird. Gerade weil Cupido der einzige Helfer und Vermittler sein kann, ist die Bitte so inständig und einschmeichelnd, wie v. 666 sie ausdrückt.

37) V. 703. *Quinquaginta intus famulae, quibus ordine longam Cura penum struere et flammis adolere Penates.* Wenn auch fast alle Handschriften *ordine longo* haben, so liegt darin nicht ein hinreichender Grund für die einzige Richtigkeit dieser Lesart; es müsste denn nur die Autorität des Gellius, der (vgl. N. A. 4, 1) angibt, dass schon vor seiner Zeit beide Lesarten gebräuchlich gewesen seien, für nichts zu achten sein. Ausser

den von Wagner für *longam* beigebrachten formellen Gründen sprechen dafür auch sachliche. *Penus* heisst nicht „Brod", sondern wenigstens Alles was zur menschlichen Nahrung gehört. Vgl. Cic. Nat. D. 2, 27: *Est enim omne, quo vescuntur homines, penus.* Bei Gell. 4, 1 werden diesem Worte noch umfassendere Bedeutungen gegeben, und es ist für die Worte *flammis adolere Penates* an unserer Stelle, welche enge mit *struere penum* verbunden sind, zu beachten, dass es ebendort heisst: *Praeterea de penu adscribendum hoc etiam putavi, Servium Sulpicium in Reprehensis Scaevolae capitibus scripsisse, Seio Aelio placuisse, non quae esui tantum et potui forent, sed thus quoque et cereos in penu esse, quodque esset ejus ferme rei causa comparatum.* Wenn wir aber auch an der engeren, von Cicero gegebenen Bedeutung festhalten, oder — was nicht gerade nöthig erscheint — mit Bezug auf Hor. Ep. 1, 16, 72 eine noch mehr eingeschränkte Bedeutung annehmen wollten, nämlich nur die Bezeichnung von den feineren Zugaben, welche den Speisen zur Würze beigesetzt werden, so bedeutet es jedenfalls eine Vielheit und in dem Palaste der Dido gewiss auch eine Manchfaltigkeit, eine Reichhaltigkeit. Diese Reichhaltigkeit liegt ganz treffend ausgedrückt in *longa penus*, wie bei Auson. Idyll. 3, 28: *Cui non longa penus, huic quoque prompta fames;* oder wie wir im Deutschen sagen: „es reicht nicht weit". Diese Reichhaltigkeit von Ess- und Trinkwaaren muss geordnet werden, damit sie der Ordnung nach und nach Bedürfniss bei dem Mahle aufgetragen werden können. Das Anordnen des Vielerlei, der „weit reichenden" Fülle von Ess- und Trinkwaaren, ist in *ordine struere* ausgedrückt. Alles Gleichartige wird in Häufchen zusammengebracht (*struere*) und so die Vielheit und Manchfaltigkeit in Ordnung (*ordine*) gestellt. *Cererem canistris expediunt*, welches ganz dem homerischen σῖτον δὲ θεραὶ παρενήνεον ἐν κανέοισιν in Odyss. 1, 110 entspricht, kann sich nicht gleichsam als eine Fortsetzung auf dieses

Geschäft beziehen; beide Geschäfte sind ganz von einander verschieden, wie denn auch der Dichter nicht ein und dieselbe Sache zweimal bei der Beschreibung des Mahles ausmalen konnte. Jenes bezieht sich auf das Herbeiholen und Aufstellen des Brodes in den Körbchen auf der Tafel, dieses auf das Ordnen der verschiedenen Tafel-Waaren, nicht des Brodes, im Innern des Hauses, nicht im Atrium, wo Tafel gehalten wurde. Der Ausdruck *ordine* in der angegebenen Bedeutung kommt häufig vor. Man vergl. 3, 179 den fast ganz gleichen Ausdruck *rem ordine pando.* Ter. Ad. 3, 2, 53: *Hegioni rem enarrato omnem ordine.* Virg. Ecl. 1, 74: *Pone ordine vites.*

VIRO AMPLISSIMO

REINHOLDO KLOTZIO

FAUTORI SUO DILECTISSIMO

DIEM FAUSTUM

QUO

ANTE HOS XXV ANNOS

MUNERA ACADEMICA RITE AUSPICATUS EST

PIE GRATULATUR

GUSTAVUS ADOLPHUS GEBAUER.

A. D. VIII. Cal. Jun. MDCCCLVI.

DE POETARUM GRAECORUM BUCOLICORUM INPRIMIS THEOCRITI CARMINIBUS IN ECLOGIS A VERGILIO ADUMBRATIS.

PARTICULA PRIMA.

LIPSIAE.

PROSTAT APUD [illegible] L. FRITZSCHIUM.

Egregie Te, REINHOLDE KLOTZI, non solum de studiis meis, sed de rebus meis paene omnibus usque ad hunc diem meritum esse, ita menti infixum haeret, ut humanitatis Tuae et benignitatis memoriam nulla mihi oblivio ereptura sit. At quo magis omni tempore memor fui beneficiorum, quae magna et larga in me conferre non desisti, eo acrius dolui, quod Tibi animi mei pietatem aliquo modo testificari nondum licuit. Quam ob rem gratissimum mihi accidit, quod ex Tuis ipsius rebus nactus sum ejus rei occasionem commodam et idoneam. Nam Dei Optimi Maximi beneficio hodie idem dies Tibi rediit, quo ante hos viginti quinque annos praeceptoris academici dignitatem rit[illegible]icatus es. Ac re-

putanti mihi, quam libenter Tu linguae Graecae studia cum literis Latinis conjungeres, placuit Tecum communicare primum specimen ejus quaestionis, quam de Vergilianis Theocriti ejusque aemulorum imitationibus instituere jamdiu animum induxeram. Quod si quaeris, quae causae me adduxerint, ut hoc negotium in me susciperem, eae plures fuerunt. Licet enim non solum ex comparatione horum poetarum, quorum opera angustioribus finibus circumscripta sunt, accuratius ostendere, quaenam utriusque linguae indoles fuerit, sed videtur etiam haec quaestio propterea utilissima esse, quod, modo recte in ea verseris, et interpretationi et rei criticae saepissime inde succurri potest. Quod quamquam jam pridem ab hominibus doctis animadversum est, tamen illi magna ex parte satis habuerunt, singulis innisi imitationibus statim ad corrigendos et Theocriti et Vergilii locos accedere: collegerunt eas imitationes Ursinus in libro, cujus titulus est „Virgilius collatione scriptorum Graecorum illustratus", et Stephanus in observationibus in Virgilianas et Nasonianas Theocriti imitationes. Mihi vero, quum primum me ad hanc quaestionem accinxi, duo adhuc valde deside[redacted]sunt, dili-

gentior universarum eclogarum Vergilii consideratio et curiosior comparatio singularum imitationum. Quum autem omnes locos, de quibus olim disputaturus eram, mihi jam collegissem, in lucem emissa est praestans Ahrensii poetarum Graecorum bucolicorum editio. Quam etsi, quatenus fieri poterat per temporis angustias, etiam in hac prima particula semper consului, tamen vel propterea ea minus quam cupiebam uti licuit, quod vir doctissimus, si ea exceperis, quae disputavit in Philologo et ad Bionis epitaphium Adonidis, neque de universis carminibus neque de singulis locis adhuc sententiam suam uberius exposuit. Contra ea literarum subsidia, quae ante hanc editionem prodierant, quantum necesse esse putabam, diligenter contuli. Horum magnam partem mihi ministravit insignis liberalitas viri gratissima praedicatione decorandi, Hermanni Fritzschii, qui, ut puerum me pater ejus dilectissimus, Dorotheus Fritzschius, literarum antiquarum non solum elementis sed etiam amore imbuit, ita ipse juveni mihi studiorum meorum fautor exstitit et in hoc opusculo conscribendo tanta me humanitate adjuvit, ut facere non possim, quin ei hac opportunitate oblata publice gratias per-

solvam. Praeterea mihi praedicanda est liberalitas viri amplissimi, Ameisii, a quo, quum precibus eum adissem, quae de poetarum Graecorum et de Vergilii carminibus eleganter, ut solet, commentatus est, statim impetravi. Denique silentio praeterire non licet, multa me etiam debere munificentiae praeceptorum carissimorum, Westermanni et Nitzschii, qui idcirco quoque summa mihi pietate amplexandi sunt, quia largissimis doctrinae suae copiis ita me instruxerunt, ut omnino ad hanc quaestionem aggredi conarer.

Habes, vir spectatissime, quae et de consilio, quod secutus sum, et de literarum subsidiis, quibus uti licuit, praefanda fuerunt. Quod reliquum est, peto abs Te omni qua par est observantia, ut eodem animi candore, quo semper errantem me in viam reduxisti, has literarum primitias accipere et, si quae peccavi — vereor autem, ne plurima sint —, ea corrigere et emendare velis. Vale.

Scr. Lipsiae a. d. VIII. Cal. Jun. MDCCCLVI.

Caput primum.

De Theocriti et Vergilii pastoribus in universum.

Eo tempore, quo poetae Romani ex poetarum Alexandrinorum operibus et rerum copiam et orationis elegantiam haurire consueverant*), Vergilius exstitit, qui Theocriti, optimi omnium poetarum Alexandrinorum, lectione imbutus, ejus carmina bucolica imitatione exprimere constitueret. Quamquam enim jam ante Vergilium Catullus vel Calvus, quae est sententia Ungeri de C. Valgii Rufi Poematis p. 287 sqq.**), Pharmaceutrias Theocriti civitate Romana donavit, tamen, hoc carmen quum non bucolici sit, sed mimici generis, Maro recte de se praedicare potuit ecl. VI. 1 sq.

> Prima Syracosio dignata est ludere versu
> Nostra neque erubuit silvas habitare Thalia.

Nihilo minus vehementer erraverit, si quis poetam existimaverit in eclogis solum Theocritum ante oculos habuisse. Nam sicuti praeter poetas Romanos interdum Homeri, Hesiodi, Apollonii Rhodii, Nicandri, Arati, Callimachi sententiis pariter ac verbis in hoc opere usus est, ita a ceteris poetis Graecorum bucolicis quae ei commoda videbantur multis locis deprompsit. Idque jam Servium judicasse, etsi p. 96 ed. Lion. de sola *Theocriti imitatione*

*) De fructibus, qui ex operibus poetarum Alexandrinorum in Romanorum poemata redundaverunt, cf. Bernhardy. H. L. R. p. 253. 257 sqq. ed. III.

**) Nititur haec sententia Plin. H. N. XXVIII. 4, ubi Ungerus pro Catulli scribendum putavit Calvi.

loquitur*), produnt ea, quae ad ecl. VI. 1 adnotavit: „*Syracosio;* quia Theocritum *praecipue* sequitur, quamvis multi alii bucolica scripserint.“ Hinc quum facile colligas, nomina eorum, quorum carmina sub Theocriti nomine circumferuntur, Servii ideoque etiam Vergilii aetate adhuc cognita fuisse**), tum Vergilio praecipuam Servius Theocriti imitationem tribuens reliquorum haudquaquam excludit. Quae quum ita sint, ego in exploranda Theocriti reliquorumque poetarum bucolicorum imitatione ita versabor, ut, ubi non necesse fuerit, fines eorum carminum, quae aperte Theocriti sunt, non egrediar, ubi res ipsa flagitaverit, etiam reliqua carmina in quaestionem disceptationemque adsciscam. Quod quibus de causis quoque loco fecerim, absoluta tota imitationis disputatione intellectum iri spero et confido; in capite, quod jam tractaturus sum, fines carminum rusticorum fere nusquam egrediendum putavi.

Ut cognoscatur, quaenam sit Vergilii universa imitatio Theocriti, primum mentem nostram ad pastorum, qui ab utroque inducuntur, vitam et mores advertamus oportet. Ac Theocriti quidem pastores, ut ordiamur ab rebus externis, pro *vestimento pellibus* usos esse, constat ex id. III. 25. V. 14 sq. VII. 15 sq. Eosdem etiam in pellibus recubare solitos esse et hujus strati mollitudinem magnopere jactasse, intelligitur ex id. V. 8 sqq. 50 sq. 56 sq. IX. 9 sqq. Talia imitando exprimere in eclogis noluit Vergilius, quamquam in Aeneide heroes non dubitavit ferarum pellibus indutos inducere***). Contra Theocritum

*) Quae ibi dicit, haec sunt: „Intentio poetae haec est, ut imitetur Theocritum Syracusanum, meliorem Moscho et ceteris, qui Bucolica scripserunt.“

**) His addenda sunt quae idem Servius dixit p. 96 ed. Lion.: „Sane sciendum, VII eclogas esse meras rusticas, quas Theocritus decem habet.“ Nam ex hoc loco rectissime conclusit Hauptius de carm. buc. Calpurn. et Nemes. p. 7, Servium carmen vicesimum et vicesimum septimum Theocrito non adscripsisse. At prius certe carmen jam Vergilii tempore exstitisse, imitationes, apud hunc poetam quae inveniuntur, clare ostendunt.

***) Locos qui huc faciunt omnes collegit Lerschius Ant. Verg. p. 77 sqq. ibique etiam causam rei explicavit.

hac in re secutus videtur auctor Moreti v. 22 coll. Theocr. id. VII. 15 sq. Causa, quamobrem poeta Romanus ab auctore discesserit, in eo cernitur, quod et omnino politioris aetatis Augusteae et inprimis eorum, quibus scripsit, rationem habebat. De contemptu pellium vestimenti loco usurpatarum cf. Lucr. V. 1418 sqq. ed. Lachm. Quantopere autem Vergilius teretes et superbas Romanorum aures respicere coactus fuerit, et de hoc loco et de multis aliis, de quibus infra commemorabo, Quintiliani verba ostendunt, quae semel hic excitasse satis habeo, Inst. or. X. 1. 55: „Admirabilis in suo genere Theocritus; sed musa illa rustica et pastoralis non forum modo, verum ipsam etiam urbem reformidat."

Victum pastorum si spectamus, jure meo tales locos omitto, in quibus uterque ea profert, quae rus ipsum suppeditavit. Memorabiles tantummodo sunt Theocriti id. IX versus 19 sq. et id. VII versus 65, qui loci inter se quodammodo oppositi sunt, quia in priore humillimi, in posteriore splendidissimi victus mentio fit. Quae enim illic laudantur χόρια, de iis mea quidem sententia recte dixit Greverus in libello: *Zur Würdigung, Erklärung und Kritik der Idyllen Theokrit's* p. 79, cui addas Ameisium Adn. in Theocr. p. 61, sed vocabulum φαγοί, quod ibidem legitur, non de lignis fagineis, sed auctore scholiasta de glandibus, qua subjecta significatione legitur Plat. reipubl. II. 372. C. Dio. Chr. I. 218. 13. R., accipiendum esse sententiarum series evincere videtur. Nam *primum* lignorum mentio jam inest in verbis ἐν πυρὶ δὲ δρυΐνῳ, *deinde* versuum concinnitas, de qua infra dicam, flagitat ut sicuti in priore ita etiam in posteriore membro edulium quoddam genus proferatur; *denique* a Theocriti oratione simpliciore alienum puto, e verbo ζέει ad subjectum φαγοί vocabulum „concremantur" cogitatione repetere. Praeterea valde me offendit participium χειμαίνοντος. Nam etsi minime ignoro, genitivum absolutum participii saepe a Graecis omisso subjecto usurpatum esse, cujus usus exempla larga manu dat Matth. §. 563. p. 1308 sq. ed. III, tamen hic participium, quum aliter explicari non queat nisi sic „quum hiems

saevit", ferri non potest propterea, quod ipsius hiemis imago eo loco ante oculos nostros ponitur. Inde etiam factum puto, ut Weisius ed. ster. p. 178. hiemis descriptionem vss. 7 sqq., aestatis vss. 15 sqq. contineri putaret. Omnibus his causis commotus locum corruptum esse existimo, conjiceremque poetam posuisse φαγοί μοι φρύγονται pro φαγοὶ χειμαίνοντος, nisi id a literarum ductibus paulo longius abesse intelligerem. Res utut est, glandes certe Theocriti loco vindicandas existimo, easque apud plures antiquitatis gentes pro cibo usurpatas esse, ostendit et Platonis locus supra laudatus et Strabo p. 155, ubi de Lusitanis, et p. 734, ubi de Persis loquitur. Cf. etiam Curtium Peloponnes. I. p. 157 sq. Verum redeam ad rem propositam. Vergilius his repudiatis in eo tamen Theocritum aemulatus est, quod Romanorum mores spectans moreti meminit ecl. II. 10 sq., ad quem locum vide quae Vossius adnotavit. Contra id. VII, 65 sqq., ubi commemoratur vinum praestantissimum, poeta Romanus ante oculos habuit ecl. V. 69 sqq. Cur ibi vina Ariusia protulerit, et Vossius explicavit in adnotatione et Klausen. de Aen. et Penat. I. p. 533.

Sequitur, ut dicam de *familiaritate*, quae pastoribus utriusque poetae cum *gregibus suis* intercedit. Silentio transmitto baculi usum, quem quamquam Romanorum quoque pastoribus tribuendum esse, apparet ex Colum. VII. 3. extr., tamen in ejus descriptione Vergilius ecl. V. 88 sqq., id quod jam Ursinus putavit, Theocr. id. XVII. 31 spectasse videtur. Magis illud memoratu dignum est, quod apud Theocritum saepe legimus animalia nominibus aut vere propriis aut a corporis quibusdam notis ductis appellata fuisse (cf. id. I. 149. III. 5. IV. 45 sq. V. 102. VIII. 27. 65. 85*) et locum similem ep. I. 5, ubi verba ὁ μῶλος, quae e cod. Pal. receperunt etiam Ameisius et Ahrensius, auctore Bachio Quaest. El. Spec. p. 25 *ducem pecoris* significare videntur), id apud Vergilium non reperiri. Excipienda tamen canum nomina sunt, quae graeca forma

*) Omisi versum 51, quoniam de [illegible]te statuisse puto Ahrensium, in cujus editione est v. 50.

leguntur ecl. III. 18. VIII. 107. Jam quum appareat e Colum. VII. 12. 6, canes apud Romanos aut graecis nominibus, qualia attulit σκύλαξ, λάχων, σπουδή, ἀλκή, βώμη, aut latinis, cujus generis commemoravit *ferox*, *lupa*, *cerva*, *tigris*, vocatos esse, videmus hac in re Maronem morem patrium secutum esse. Hunc eum in appellando pecore destituisse, non sine verisimilitudine quadam ex ecl. IX. 23—25, quos versus ad verbum fere e Theocr. id. III. 3—5 transtulit, mihi conjicere videor. Atque hoc quidem quum ad terrae proprietatem pertineat, illud ingenii et indolis utriusque poetae est. Invenitur enim apud Graecum poetam, egregium naturae observatorem, pastorum id cum pecoribus commercium, ut non solum ea summo se amore amplecti profiteantur (id. IV. 39, quem tamen locum Ahrens. pro corrupto habet) aut amice adhortentur (id. I. 149 sq. V. 1 sq. 145 sq. VIII. 49 sqq. 65 sqq.) aut gaudia sua cum iis communicare studeant (id. V. 141 sq. coll. id. VI. 44), verum etiam nonnunquam iracundia incensi illa gravius admoneant, verbera adeo minitantes (id. IV. 46 sqq. V. 147 sqq.), ubique vero aptissimo sermonis genere utantur. Vergilius contra, quamquam et ipse pastores eos inducit, qui greges suos aut amice alloquantur et adhortentur (ecl. I. 75 sqq. X. 77) aut commoneant acerbius (III. 94 sq. VII. 44), tamen in familiaritatis caritatisque sensu depingendo felicius quam in objurgando Theocritum secutus est.

Quod si quaerimus, quid praeterea utriusque poetae pastores temporis fallendi causa in pascuis et saltibus egerint, aut *vasa rustica texebant* aut *inter se colloquebantur* aut *carmina canebant*. Quod primo loco posui, reperitur apud Theocritum id. XI. 73 et, quamquam ibi non agitur de pastore, I. 52 sq., atque hinc adumbravit Vergilius ecl. II. 71 sq. X. 71. De altero et tertio ita disputabo, ut quae res ipsa flagitet ut juxta ponantur conjunctim persequi et illustrare coner. Nimirum, ut jam supra de pecoris commercio significavi, Theocritus tam egregie et omnino popularium et praecipue hominum humiliorum mentes ac cogitationes perspexit et tanta cum fide veritateque in carminibus suis expressit, ut communi omnium doctorum consensu summa laude dignus judicandus sit. Jam

constat vel ex iis locis, quos congesserunt Jahn. ad Cic. Brut. §. 46. Notter in Prolegomenis, quae praemissa sunt translationi Germanicae poet. Graec. buc. ab ipso et Moerikio institutae p. 1 n., Hauler. in dissertatione de Theocriti vita et carminibus p. 49., Siculos inprimis dicaces fuisse. Hinc explicationem habent mutua illa dicta et cavillationes, quae per idyllia IV. V. X. multis locis dispersae leguntur*). His salibus interdum res obscoenas admixtas fuisse, non mirabitur, qui cum Fritzschio de poet. Graec. buc. p. 17 meminerit, id ex eadem fide repetendum esse, qua poeta ab omni parte rerum naturam depingere studuit. Eundem hominum plebejorum usum ac consuetudinem redolent etiam sententiae et proverbia, quae ut in reliquis ita in bucolicis carminibus a Theocrito frequenter usurpata esse, collectio docet a Fritzschio l. l. instituta, quamquam non negligendum est, quod statuit Bernhardyus H. L. Gr. I. p. 27 sq. 65. ed. II, proverbiorum copia Dorienses reliquis Graecis praestitisse. Denique huc refero superstitionum varia genera (cf. praeter idyllii II totam partem priorem ejusd. id. v. 90 sq. III. 28 sqq. 31. 37. V. 121. 123. VI. 39. VII. 126. IX. 30. XII. 23. XIV. 22), imagines maximam partem e vita rustica depromptas (I. 1 sq. 7. 146. II. 38. 55. 78. 88. 106. 110. III. 12. IV. 39. V. 29. 92. 94. 136. VI. 15. 38. VII. 41. 47. 97. VIII. 37. 41. 45. 57. 78. 82. 87. IX. 7. 12. 20. 31. 33. X. 18. 28. XI. 19. 39. XII. 3. XVIII. 26. 29) et rerum naturae descriptiones. In his poeta semper eorum memor, quos loquentes fecit, admirabili quadam cum arte ita versatus est, ut eas praeteriens tantum dataque occasione pro-

*) Scena id. IV et V non Sicilia, sed Italia est. Verum tamen a vero aberravit Haulerus, qui l. l. et p. 66 etiam idyllii decimi res in Italia agi existimavit. Reputare enim debuit, id. I. VI. IX. non a patria, sed a pastoribus qui producuntur aut celebrantur suavem ac teneram naturam accepisse et nec Daphnidis nec Menalcae nomina usitata consuetudine de mythicis personis usurpata decimi idyllii messoribus tribui potuisse. Non attendit praeterea, Milonem non solum in quarto, sed etiam in octavo carmine, quod totum Siciliae est (v. 47 et51), commemorari. Fatendum est igitur cum scholiasta, ignorari, ubi scena idyllii decimi quaerenda sit. De idyllii tertii scena, quod idem p. 49 Siciliae adscribit infra commemorabo.

ferret, modo cum mutuis pastorum laudibus (I. 1 sqq. 7 sqq.), modo cum dissensionibus de canendi sede coortis (I. 12 sq. 21 sqq. V. 31 sqq. 45 sqq.), modo cum qualicunque pastorum condicione (VIII. 55 sq. XI. 44 sqq.) connectens. Vide quae de ea re verissime jam observavit Finkenstein. Arethus. p. 48. Ab his locis ii discrepant, qui id. VII. 7 sqq. 131 sqq. leguntur, qui, quum totum idyllium ipsius poetae sensa exprimat, talem cautionem non habebant. Sed ex his ipsis versibus, quemadmodum ex id. XXII. 37 sqq., aliam eamque eximiam Theocriti facultatem, quae conspicitur in depingenda naturae pacata et pacante contemplantium animos tranquillitate elucere, scite disputavit Notter. l. l. p. 15 sqq., quocum conferas de toto hoc scriptionis genere a veteribus minus exculto Al. Humboldt. Kosm. II. p. 12. Caesar. Ephem. lit. ant. 1849. Nr. 61—64. Grever. l. l. p. 71 sqq. Bernhardy. H. L. Gr. I. p. 139. sq. ed. II. Becker. Charikl. I. p. 93 sq. ed. C. F. Hermann.

His dictis a Theocrito ad Vergilium progrediar. Ac Romanorum quoque agricolas ad risum quendam solutum proclives fuisse, perspicitur ex festorum agrestium hilaritate et licentia, de qua cf. Verg. Georg. II. 385 sq. Bernhardy. hist. lit. Rom. I. p. 169 sqq. ed. III. Nec minus eos Graecorum flagitiis illo tempore imbutos fuisse, recte contra Wagnerum disputans affirmavit Ameis. ann. phil. et paed. 1850. 4. p. 373. Quare non a vero aberrasse videbor, si Maronem in dicteriis et notationibus, quae leguntur ecl. III, Theocritum imitando simul morem patrium respexisse contendero. Quod vero a rerum abscoenitate adeo abhorruit Vergilius, ut uno tantum loco (ecl. III. 8 sq.), et reticentiae quidem figura usus, quam Theocritus ne in primo quidem idyllio (v. 105) usurpasset, nisi ibi curandum erat, ut Daphnis, divinus pastor, deam Venerem verecundius notaret, eam immiscere vellet, id casto poetae animo jure aliquis tribuerit. In afferendis sententiis et proverbiis, quae etiam in rusticorum Romanorum ore fuisse quum per se credibile sit, tum ostendit verbum praeter cetera memorabile, quod servavit Plinius H. N. XVIII. 18. 49. „arator nisi incurvus praevaricatur", ubique fere Maro simplicitatem Theocriti retinuit. Atque imitatus est eum

ecl. VII. 45 (cf. Theocr. V. 50 sq. XV. 125 et Ameis. ann. phil. et paed. 1845. 45. 2. p. 135). III. 102 (id. IV. 15 sq. coll. ep. VI. 5 sq. id. II. 89 sq.). VII. 43 (id. XII. 2), quamquam in his duobus locis potius similia Graeca proverbia similibus Romanis reddidisse videtur. Item spectavit Theocritum ecl. VIII. 63 (coll. id. X. 25), ubi tamen rei accommodatius erat, quod a Lucilio, ut auctor est Macrobius, Saturn. VI. 1. 35 ed. Jan., depromptum etiam VII. 23 usurpavit. E Graeco, non ab ipso Vergilio translata sunt duo proverbia, quae legimus ecl. III. 91, etsi posteriori simile est, quod invenitur id. V. 26 sq. Vergilii propriae sunt eae sententiae, quas habes ecl. II. 65. X. 69. Ex eo vero, quod poeta Romanus idque Theocriti exemplo permotus sententias et proverbia saepius in eclogas intulit, sequitur *primum* quidem falsam esse Macrobii sententiam, qui Saturn. V. 16. 6 sq. ed. Jan. existimavit, ut in reliquis operibus ita etiam ecl. VIII. 63. X. 69. Maronem in proferendis sententiis Homerum secutum esse, *deinde vero*, explicationem proverbialem ad interpretandos poetae versus in auxilium vocandam esse. Id recte fecit Ameis. Spic. explic. Verg. p. 5 de ecl. II. 58 sq., et magnopere mirandum est, quod etiam in altera editione Ladewigus longam suam hujus loci explicationem retinuit. Recte praeterea Vossius mea quidem sententia ejusdem eclogae v. 70. Servii verba secutus ex proverbio quodam Romanorum rustico intelligendum explicandumque esse statuit. Ex vulgari interpretatione non congruit hic versus cum sequentibus, quandoquidem inepte Corydon se uno sententiarum tenore propter neglectam vitium amputationem incusat et ad vasa rustica texenda excitat. Optime vero, si hunc sensum ei subjectum esse putamus: „Demens es; vinum bibisti e vite semiputata", antegressa verba illustrat et amplificat. Ceterum hoc quoque versu Theocritum aemulatus videtur, cujus similis proverbialis locutio e vita rustica petita quamvis alio sensu exstat id. X. 14 coll. Ameis. Adn. p. 63. — Superstitiones Vergilius e vita plebeja promptas praeter eas, quae ad rem magicam pertinentes in posteriore parte eclogae VIII leguntur, commemoravit etiam ecl. III. 103. VII. 27 sq. [redacted]q. Quae

in ecl. VIII a Theocrito sumpserit quaeque ipse finxerit, in parte operis secunda demonstrare conabor; hic satis erit ea laudasse, quae disputavit Lersch. l. l. p. 192 sqq. de ritibus magicis a Vergilio commemoratis. In reliquo eclogarum opere quae dicuntur, aut ipsius Vergilii sunt (III. 103. VII. 27), aut ita a Theocrito desumpta, ut hunc cum imitaretur, a popularium opinione non deflexerit (IX. 53 sq. coll. Theocr. id. XIV. 22 et Plin. H. N. VIII. 34). — Ad comparationes et imagines e vita agresti petendas quum omnino Theocriti exemplo incitatus sit, tum ejus verba aut imitando expressit aut certe spectavit ecl. II. 18. (id. X. 28 sq. XXIII. 28 sqq.) 63 sqq. (X. 30 sq.) III. 80 sqq. (VIII. 57 sq.), V. 16 sqq. (V. 91 sqq. XII. 3 sqq.) 32 sqq. (VIII. 78 sq. XVIII. 29 sqq.) 45 sqq. (I. 7 sq. VIII. 77.) 82 sqq. (I. 7 sq.) VII. 37 sq. (XI. 20 sq.). 51 sq. (IX. 12 sq. 20 sq.) 65 sqq. (XVIII. 29 sq.) X. 39. (X. 28.), 73 sq. (VII. 96 sq.). Ipsius ingenio tribuendae sunt, quas legimus ecl. I. 23 sqq. III. 82 sq. VII. 41 sqq. 61 sqq. X. 29 sq. 54. Ecl. VIII. 85 sqq. ante oculos habuit Varii versus, quos citavit Macrob. Saturn. VI. 2. 20 ed. Jan. In omnibus his imaginibus exceptis ecl. VII vss. 41 sqq. et 51 sq., quas data opera paulo asperiores effinxit, praeter alias virtutes infra commemorandas insignem suavitatem ac dulcedinem cerni, non est quod uberius ostendam, quum jam animadversum sit a Finkensteinio Arethus. p. 50. — E locorum denique descriptionibus, in quibus et ipsis auctorem suum aemulatus est, potissimum eae veritatis laudem habent, quae ad poetae praedium pertinent, I. 47. sqq. VII. 11. IX. 7. Quod in reliquis reprehendit Ladewigus praef. p. VIII, eas minus expressas ac distinctas dicens, cadere credo in ecl. III. 57 sqq. X. 42 sqq., quamquam ne hi quidem versus suis laudibus carent, non cadit in ecl. V. 5 sqq. IX. 40 sqq., qui cum ad Theocriti id. I. 21 sqq. XI. 42 sqq. facti sint, easdem cum illis virtutes communes habent. Vide etiam Greverum l. l. p. 72 sq. et ad utrumque locum quae adnotavit Vossius.

Ab iis rebus, quas non minus in confabulationibus quam in cantilenis pastorum vitae veritatem redolere di[illegible] jam propius ad ipsa canti[illegible]ndam. Quo in [illegible]

illud ante omnia tenendum puto, nisi tam certis signis expressa fuisset apud Siculos vita pastoritia, ne Theocritum quidem sibi poetae bucolici laudem comparaturum fuisse. Illi enim homines, quorum vitam moresque poeta descripsit, non solum dulci syringis flatu et peculiari canticorum genere celebratissima Daphnidis, Menalcae, Comatae nomina celebraverunt et certaminis pretio proposito inter se contenderunt, verum etiam praecepta rustica versibus incluserunt. Quid, quod eo etiam pastores Siculi honorem ac dignitatem adepti sunt, quod in Dianae templis consuetis hymnis deae laudes extollere solebant? Quae quum ita essent, Theocrito id tantum agendum erat, ut ea, quae rudiora minusque exculta apud populum jam exstabant, expoliret et ad artis praecepta redigeret. Et eum revera aptissimo suae Musae fundamento poesi populari innisum esse, primum creberrimus ostendit caesurae bucolicae usus, quam una cum vocabulo, quod in pede primo positum erat, in pede quinto repetendo ex cantilenis popularibus a poeta in carmina bucolica illatam esse, primus scite observavit Fritzschius l. l. p. 20, cujus sententiam approbavit G. Hermannus de art. poes. Graec. buc. p. 3. Adde quae nuper de eadem re dixit Hauler. l. l. p. 48 sq., qui tamen, id quod negligendum neutiquam erat, de vocabuli repetitione non commemoravit. Ipsum hujusmodi cantilenae versum nos habere id. IV. 32 ἅ τε Κρότωνα καλὰ πόλις ἅ τε Ζάκυνθος, quamquam aliter visum esse Ahrensio e conjecturis, quas ibi protulit, apparere videtur, mihi quidem persuasissimum est*), et hoc quoque verisimile puto, quod statuit Welcker Op. I. p. 200, id. I. v. 106 et V. 45 verba τηνεῖ (τουτεῖ) δρύες, ὧδε κύπειρος ex carmine populari desumpta esse. Item poeta a popularibus didicit hoc artificium, ex quo quaedam certe carmina addito modo modo omisso ephymnio (cf. Fritzsch. p. 20 sqq.) in strophas divideret, ut semper in carminibus amoebaeis, non raro in aliis, pastores sententiis ac quantum fieri posset etiam

*) Haec sententia si vera est, sequitur, ut in illis carminibus popularibus non solum tetrameter, sed etiam trimeter dactylicus subsequente dimetro usurpatus sit.

verbis iisdem loquentes faceret (cf. Fritzsch. p. 19 et 23. Notter. p. 4 sqq.), ut id. X, 42 sqq. Milonem sententias ad vitam rusticam pertinentes pronuntiantem induceret. Nam quae duo posuit Hauler. l. l. p. 52 sq., illam cantilenam aut ex Sosithei Λιτυέρσου aut e cantilenae theristarum popularis, de qua laudavit Athen. XIV. p. 619. a, imitatione compositam esse, ex his solum posterius accipiendum esse existimo. Denique in eo etiam carmina pastoralia ante oculos habuisse videtur, quod Comatam apibus nutritum cecinit id. VII. 78 sqq., de quo loco cf. praeter scholiastam Ameis. Adn. p. 47, quod Menalcam una cum Daphnide produxit id. VIII et IX (cf. arg. id. VIII et schol. ad v. 55), quodque in idyllio primo Daphnidem infelicis amoris causa se in fluctus praecipitasse narravit. De hujus idyllii sensu quum infra accuratius disputaturus sim, hic satis habeo tantum attulisse, non recte mihi egisse videri Ameisium Ann. phil. et paed. 1845. 45. 2. p. 107 sq., idcirco, quia poeta id. XIII. XV. 124. XXII. 27 a vulgari narratione deflexisset, verisimile esse putantem, id etiam in hoc argumento pastoritio factum esse.

In his omnibus igitur quum Theocritum cantus popularis modum ac rationem accurate expressisse ostenderim, jam quaerendum est, quo modo Vergilius in ea re cum auctore suo certare potuerit. Leve est, quod ne rusticos quidem Romanos ingenio poetico destitutos fuisse, pulchrae imagines produnt, quibus auctore Plinio (H. N. XVI. 39) ver ab iis significabatur, gravius, quod iidem per festorum agrestium solemnitatem alternis inter se certabant (cf. Bernhardy. H. L. R. l. l. et Lersch. Ant. Verg. p. 257, qui hunc morem a Tuscis repetit) et versibus res rusticas tradebant, ut apparet ex antiquo exemplo, servato a Festo s. v. Flaminius Camillus „Hiberno pulvere, verno luto grandia farra, Camille, metes", quod inter cantilenas populares retulit Zellius Ferienschriften II. p. 207. At caruisse eos prorsus fere fabulis popularibus, nota res est observavitque etiam Bernhardyus l. l. p. 172 n. 116. Quibus ita comparatis, certe quaedam poeta habuit, quae ex ipsa vita depromeret. Sed id neque potuisse neque debuisse illius esse consilium, statim intelligetur, ubi in memoria

tibi revocaveris locum Quintiliani supra laudatum neque hoc neglexeris, quod a multis passim commemoratum est, uberrime expositum a Spohnio in Prolegomenis, Vergilium potentiorum gratiam his eclogis acquirere studuisse. Quamobrem diligenter omnia vitanda erant, quibus aures eorum qualicunque modo offendere poterat. Quod quanti momenti sit, vel inde elucet, quod id. X. v. 44 sqq., quamvis alias, quae similia apud populares inveniebat, cupide arriperet, imitari noluit. Tanto magis ea notatu digna sunt, in quibus vestigia quaedam quamvis levissima poesis popularis reperiuntur. Unum rei idque manifestum exemplum praebet ecl. VIII. 80. „Limus ut hic dur*escit* et haec ut cera liqu*escit*", quem v. factum esse ad similitudinem carminum magicorum praeter ea, quae Vossius in nota protulit, dilucide ostendit versus quidam servatus a Varrone R. R. I. 2. 27. „Terra pestem ten*eto*, salus hic man*eto*". Nec recessit poeta a rusticorum Romanorum usu in carminibus amoebaeis, in quibus, ut silentio praeteream solemne alternorum versuum nomen (ecl. III. 59. V. 14. VII 18 sq.), neque cavillationes, quas habes ecl. III. 90 sq. VII. 25 sqq., a rustica Romanorum licentia alienae sunt et duo aenigmata ecl. III. 104 sqq. prolata illaque sive jocatio, ut mihi, sive irrisio, ut aliis videtur, quae invenitur III. 76 sqq., populare quiddam continere videntur. Huc etiam referendus videtur liberior et solutior legum amoebaearum usus, in quo sicubi recessit a Theocrito, eum ex parte rusticorum Romanorum carmina spectasse puto. Verbo denique commemoranda est fistulae inflandae scientia. Hanc a Vergilio non affictam pastoribus Romanis esse, sed revera iis fuisse, testantur variae hujus instrumenti appellationes, quas congessit Ladewigus praef. p. XV, quocum cf. quae scripsit Lerschius Ant. p. 256. Quid in ejus descriptione ab auctore suo mutuatus sit, singulis locis demonstrabo; non commemoratum erat a Theocrito, Panem plurium cannarum fistulam invenisse, quod legimus ecl. II. 32 sq., ubi vide quae Vossius dixit, et VIII. 24. Haec fere ea esse videntur, quae e vita ipsa a poeta sumpta sunt; in reliquis enim adeo pastores Romanos sprevit et aspernatus est, ut non solum scenam eclogarum in Graecas

terras transferret, id quod factum videmus ecl. II., in ecl. VIII priore parte et ecl. X, et in eclogam VII Arcadum pastores arcesseret*), quos quomodo ob cantus praestantiam poeta laudare potuerit, explicavit Welcker. Op. I. p. 402, verum etiam ad Theocriti exemplar se ubique fere componeret. Haec omnia quum suo quoque loco explicatius persequi propositum sit, nunc iis omissis aliam rem breviter attingam, quandoquidem ad hanc nunquam rediturus sum. Mos pastorum Theocriti carmina inter pascendum elaborandi significatur id. VII. 50 sq. Idem invenitur apud Vergilium ecl. I. 1 sq. indicaturque etiam formula „si quid habes" ecl. III. 52, cui simile est, quod legitur ecl. V. 10 sq., ubi argumenta canticorum adduntur. Quid judicem de id. IV. 32 et X 41 sqq., jam dixi; quare videndum est, quomodo Vergilius his locis usus sit. Nempe ad priorem spectans ecl. V. 86 et 87 eclogas II et III exordiis significavit, ad quem morem traherem etiam ex sententia Palmerii (Graecia ant. IV. 20) verba ecl. II. 24 „in Actaeo Aracyntho", nisi totus versus e Graeco translatus videretur: posteriorem vero spectans in ecloga IX pastores sua ipsius carmina canentes induxit. Hac cum re cohaeret quod pastores carminibus suis interdum celebritatem quandam nacti esse dicuntur. Eo enim spectant Theocr. id. I. 19 sq. VII. 27 sqq. X. 23, ad quos vss. spectavit Vergilius ecl. V. 53 sqq. Denique licet etiam commemorare, apud Theocritum alterum pastorem, ne alterius cantus importune tur-

*) Etsi ecl. VII. v. 4: „Arcades ambo" non ita explicandum puto, ut cum Wagnero et Vossio statuam, posteros eorum intelligendos esse, qui post deletam Corinthum in Italiam venerint, non tamen idcirco cum Fritzschio, cujus sententiam per literas acceptam probavit Ameis. Spic. p. 13 sq., crediderim, Arcades metaphorice capiendos esse. Quidni enim poeta, qui etiam aliis locis Graeca cum Romanis liberrime miscuit (cf. ecl. II. 10 sq., ubi moretum commemoratur, etsi scena in Sicilia collocata est, et quae Wagnerus protulit Quaest. XL. 3), poetica quadam libertate fingere potuerit, duos qui ibi producuntur pastores Arcades fuisse, etiamsi nunquam hujus terrae incolae in Italiam venissent? Praeterea mihi quidem Plauti verba Poen. prol. 113: „Poenus plane sum" propterea huc non pertinere videntur, quod ibi adv. *plane* additum est.

betur, interdum ejus gregem pascere. Cf. id. I. 14. VII. 86 sqq. In simili causa apud Vergilium Menalcas ecl. V. 12 Mopsi haedos, ut secum canere possit, servo Tityro pascendos tradit et ecl. IX. 65 Lycidas, quo commodius Moeris inter eundum canat, ad haedos ejus portandos se paratum esse profitetur. Unum proprium habent Vergilii pastores, quod quae meditati sunt carmina arborum cortici incidunt (ecl. V. 13 sq. X. 53 sq.), quamquam hunc morem Theocrito non ignotum fuisse, ostendit id. XVIII. 47 sq.

Ad illustrandam pastorum vitam pauca addenda sunt, quae aut propria sunt Vergilii aut ei cum Theocrito communia. Illuc refero, quod apud Vergilium pastores etiam agros, hortos, vineta*) colunt apesque nutriunt (cf. Voss. ad ecl. I. 54. Ladewig. praef. p. XV), huc, quod apud utrumque venationem exercent. Id apud Theocritum, si discesseris a voce λαγωβόλον, clarius indicatur id. V. 106 sq., apud Vergilium ecl. II. 29. III. 12. Quare non erat, cur quidam homines docti priore loco alteram Servii explicationem, quam ipse deteriorem esse profitetur, rejecta meliore amplecterentur.

Possem jam ad aliam rem transgredi, nisi res moneret, ut hic nonnulla profligarem, quae in descriptione pastorum non e vita sumpta, sed ab ipsis poetis addita sunt. Nimirum, ut paucis comprehendam, quae et Finkensteinius in Arethusa et Bernhardyus H. L. G. II. p. 928 sqq. ed. I. uberrime persecuti sunt, Theocritus, quod eximium ejus erat ingenium, non solum angustis unius carminis finibus ingentem rerum varietatem et copiam complexus est (id. IV. V.), sed etiam tamquam condimento quodam suavissimo leni irrisione plura idyllia conspersit (cf. id. III.

---

*) Vitium culturam etiam Theocriti pastores exercuisse, colligere posses ex id. V. 108 sq., nisi verba ibi metaphorice intelligenda essent. Tecte enim Laconem notari, qui Comatae amores laeserit, mihi persuasit Fritzschius, de quo hanc loci explicationem audivi. Quae si vera est, quid de vss. 110 sq. statuendum sit, clarum et manifestum est. Hos neque Wuestemannum in nota, neque Adertum Théocrite. Appendice p. 16 illustrasse puto. Explicandi viam fortasse ostendunt verba, quibus schol. [redacted] accipiuntur, quibus *quid faceret, nesciit* Adertus Sc[redacted] ined. p. 70.

VII. 12 sqq. XI.), in omnibus vero alius semper atque novus evasit*) in eoque etiam summopere excelluit, quod, ubi duo inducendi erant, eos diversissimi ingenii esse voluit (cf. inprimis id. IV. V. X.). In nonnullis ex his virtutibus poeta Romanus cum auctore suo feliciter certavit. Eadem enim rerum varietas in ecloga tertia, eadem diversa pastorum indoles in septima, utque nova et alia semper proferret, quaedam ipse invenit pulcerrime (cf. ecl. I. IX et septimae initium); at prorsus abest illa irrisionis suavitas ac venustas, et ne illud quidem cavit, quod cavendum erat quam diligentissime, ne diversorum idylliorum versus ut diverso colore praeditos in unam eclogam transferret. Cujus vitii duo luculentissima testimonia praebent eclogae altera et tertia. In priorem enim facile ad intelligendum est quam non apte tertii, sexti, undecimi idyllii versus illati sint, quum in iis omnibus dissimillimus color sit; in posteriore vero parum caute quae usque ad pastorum certamen dicuntur ex idyllio quinto et octavo adumbrata sunt.**) Quamquam hoc non ita a me dictum volo, quasi nusquam poeta rei subvenerit ita, ut Theocritea liberrime convertere, permutare, inflectere studeret. Quod quum jam alterius partis sit, hoc loco significandum magis quam explicandum erat.

Appendicis loco commemoro, Vergilium in eclogae VIII parte posteriore etiam in depingendo ingenio muliebri operam dedisse, ut idyllii secundi virtutes imitaretur. Quod ei interdum prospere cessisse, qui haec carmina inter ipsa comparaverit, statim concessurum esse spero confidoque. Mirum tamen aliquem habere possit habuitque Adertum Théocrite p. 52, quod hac occasione oblata amoris muliebris vim ac vehementiam leviter indicare quam copiose depingere maluit. Id quin praestare potuerit, quum nos dubitare non sinat Aeneidis liber quartus, rei causa inde repetenda est, quod hac in ecloga Pollionis jussu hortatu-

*) Hoc in genere inprimis memorabilis est ea ratio, qua in sexto et in undecimo idyllio Cyclopem depinxit.

**) Vide modo v. 32, cujus verba utpote mire cum conviciis ingressis *discrepantia gravem* offensionem praebent.

que et primum et alterum Theocriti idyllium imitatione expressit ideoque, ut inter se concinerent duae cantilenae, multa, quae in utroque leguntur, prorsus omittere coactus est.

Caput secundum.

De Theocriti et Vergilii pastoribus personatis.

Accedere me ad rem valde lubricam ac, quo largiorem praebet conjecturis materiam, eo magis etiam multis magnisque dubitationibus obnoxiam, ut probe cognitum perspectumque habeo, ita, quum ad explicanda utriusque poetae et universa carmina et singula verba utilissima sit, haudquaquam eam silentio praetereundam esse censeo. Tamquam vera et concessa pono, de quibus Finkensteinius Arethus. p. 45 etiam Ameisio, gravi et acerbo allegoriarum exagitatori (cf. Ann. phil. et paed. 1845. 45. 3. p. 198), persuasit, Aegonem et senem idyllii quarti, Bombycam decimi, Cyniscam decimi quarti veros homines fuisse. Nam quae de iis dicuntur, tam propriae et peculiaris naturae sunt, ut pro fictis haberi vix queant. Jam jungamus cum eo, quod dixit Finkensteinius de idyllio quarto, illa quae scholiastae exhibent arg. id. III τὸ δὲ ποιητοῦ πρόσωπον οὐκ ἄν εἴη, ὡς ὁ Μούνατός φησιν, ἐκ τοῦ λέγειν τὸν ἐπικωμιάζοντα, ἦ ῥά γέ τοι σιμὸς καταφαίνομαι, et paulo infra τινὲς δὲ διὰ τοῦ σιμοῦ τὸν Θεόκριτον οἴονται κωμάζειν, Σιμιχίδην καλοῦντες*), deinde ad v. 8, quae sola Haulero p. 15 cognita fuerunt, τινὲς δὲ διὰ τοῦ σιμοῦ τὸν Θεόκριτόν φασιν, ἐπεὶ καὶ ἐν τοῖς Θαλυσίοις Σιμιχίδας ὠνόμασται· πλὴν οὐκ αἰπόλος ὁ Θεόκριτος οὐδὲ Σιμιχίδας ἀπὸ τοῦ σιμοῦ, ἀλλ' ἀπὸ Σιμίχου, πατρωνυμικόν, denique ad id. IV. 39 ἐνταῦθα σαφῶς αἰπόλος ἦν Βάττος, ὃν εἰκὸς ἦν ἐρᾶν τῆς Ἀμαρυλλίδος, καὶ οὐ Θεόκριτον. Quodsi vero meminerimus, etiam id. VII. 96 sq.

*) Consulto omisi verba ἡ ἱστ[illegible] Ἀπολλωνίῳ, de quibus cf. Duebner. in not. ad h. l. et ad [illegible]

Theocritum suam aliquam amicam significare, et illud quoque reputaverimus, non sine justa causa sive a Theocrito sive ab Artemidoro juxta esse posita idyllia III et IV, quae tamen, quum, cur eo quo habemus ordine reliqua carmina collocata sint, probabiliter explicaverit Jacobsius, cujus sententiam attulit Wuestemann. praef. p. XXIII n. 2., a nullo adhuc indicata est, et in utroque caprarium produci, qui Amaryllidem aut habeat aut habuerit in deliciis: haec omnia si consideraverimus, non mirum videbitur, si haec conjecero, non recte scholiastam — ab uno autem omnia quae attuli fluxisse puto — qui eum antecesserunt, reprehendisse, sed sic potius existimandum: *primum* Theocritum propter id ipsum, quod simus fuit, a vitrico*) per jocum et appellatum esse ab amicis et ipsum se appellasse Simichidam; *deinde* in idyllio III sub caprarii nomine poetam, amicam ejus sub Amaryllidis latere**); *denique* eundem in idyllio IV Aegonem olim rivalem ejusque patrem sub Batti nomine castigavisse. Haec enim tam arte aliud ex alio apta et suspensa sunt, ut, si unum concesseris, ne reliqua quidem pro falsis habere possis. Cognata sunt, quae Fritzschius p. 28 attulit ex id. IV. 20. XIV. 5; nam ibi sine dubio illius aetatis homines notantur. Nec id. XI et XIII veri dissimile esse puto leviter Niciae amores perstringi, tangique eum nonnullis versibus, ut XI. 11. 72. 81. XIII. 1 sqq. 66 sq., mihi quidem persuaserunt Fritzschius l. l. et Haulerus p. 11. Mirum in modum in idyllio VII aperta cum fictis connexa sunt. Veris nominibus in eo producuntur Aratus cum Philino, praeceptores Philetas et Asclepiades, hic tamen a patre

*) cf. Hauler. p. 6. Non verum est, quod ibi pronuntiavit, testimonium, quod exstat schol. VII. 21, ante se neglectum fuisse; nam dixerat de eo Ameis. Adn. p. 39.

**) Hanc Theocriti amicam ex Italia inferiore ortam fuisse, ostendit et idyllii quarti scena et quae schol. exhibet arg. id. III: τὰ δὲ πράγματα εἴη ἂν ἐπὶ Ἰταλίας περὶ Κρότωνα, ὅθεν καὶ τὴν Ἀμαρυλλίδα ὑποτίθεται. Inde judicari velim, quae scripsit Hauler. p. 49. Nam praejudicata opinione abreptus, quoniam id. I. VI. IX suavia ac tenera, id. IV. V rustica et agrestia esse vidit, etiam id. III Siciliae, id. X Italiae tribuendum esse putavit. Quem cur non ea, [redacted] dixit p. 15, in [redacted] m perduxerint, est sane, quod

nominatus, Phrasidamus et Antigenes fratres, Lycidas cum Ageanacte, quamquam prioris nomen fictum videri potest, incertum veris an fictis Eucritus, Amyntas, Aristis, a patria vocati Acharnensis ille et Lycopites, ficto nomine Tityrus; semet ipsum poeta Simichidae nomine significavit suamque amicam Myrto appellavit. Quod vero et se et Lycidam cum Acharnensi, Lycopita et Tityro pastorum specie induxit, ea re Musae bucolicae facultatem significare voluit. Denique quum aperte laudentur v. 39 sqq. Philetas et Asclepiades, tecte castigatur 45 sqq. sive Apollonius Rhodius sive Antagoras Rhodius sive quicunque intelligendus est. Quum enim non id h. l. agam, ut haec uberius explicem, satis habeo laudasse ea quae dixerunt de hoc idyllio Wuestemann. in arg., Fritzsch. p. 3 sqq., Ameis. Adnot. p. 38 sq. et Ann. phil. et paed. l. l. p. 197., Hauler. p. 7 sqq. quique praeterea ab his omnibus commemorati sunt. Memorabiles praeterea sunt duo loci, in quibus poeta ipse ambiguitatem molitus esse videtur. Nam quod de id. III. v. 35 dixit Fritzschius, ita probari posse videtur, si statuimus, tertiam hanc esse Theocriti amicam et casu quodam felici eandem vocem ἐριθακίς et nomen et operam puellae significasse. Id enim si fieri potuisse credimus, explentur ea, quae postulavit de amphibolia Quintilianus VI. 3. 47 sqq. Alter locus est id. VII. v. 125, in quo scribendum esse e Juntina et altera scholiastae lectione μολών, cum Ahrensio certum habeo, intelligendus tamen est Μόλων, quem cum Simone scholiasta Arati rivalem nominat. Pulcherrima autem h. l. invenitur amphibolia et cum structura versus artificiose connexa. Quae praeterea huc traxerunt viri docti, omni veritatis specie destituta sunt. Nam etsi id, si caute interpreteris, reprehendi non potest, quod Hauler. p. 29 de idyllio XIV dixit, Thyonichi persona Theocritum se ipsum significare, quoniam plura ibi leguntur, quae magis poetae quam homini humilioris ordinis, e Sicilia oriundo, cognita fuisse videantur*), tamen prorsus respuendum est, quod idem Justini loco (XIII. 4) inductus, p. 61 sq. not. 3 putavit, sub divi Comatae persona (id. VII. 78 sqq.) Hieronem celebrari. Neque

*) *Nimium mihi* vir doctus p. 30 e vss [illegible] visse videtur.

probabilis est Palmerii sententia, quam l. l. attulit Fritzschius, Philoxenum illo loco designari. Comatae historiam quum supra dixerim sine dubio notum cantus pastoritii argumentum fuisse, nunc id ad refellendum satis esse puto, si alterutra sententia vera esset, etiam sub Daphnidis nomine, qui eodem sententiarum ordine cum Comata jungitur, verum hominem latere existimandum esse. Quod quum absurdum sit, illud quoque incredibile est. Jam ut ea brevi complectar, quae adhuc disputata sunt, apparet, ne Theocritum quidem dedignatum esse in argumentis bucolicis vel mimicis vel aperte vel tecte aetatis suae homines laudare et castigare, atque id cum de septimo idyllio, cujus universa indoles aliquantum a carminis pastoritii natura recedat, mirum esse non queat, idem de reliquis affirmare non licere, ad allegoricam autem speciem prope accedere id. III et IV, quamquam et hic et ubique (excipio semper id. VII) poeta curavit, ut pastorum reliquorumque hominum indoli et moribus describendis veritas vitae servaretur. Nam id tenendum semper esse, vidit jam Finkenstein. p. 46.*)

Vergilii toti poesi bucolicae auctoribus Bernhardyo H. L. R. p. 412 ed. II et Ameisio Ann. phil. et paed. 1850. 4. 61. p. 373 *allegoricae* nomen tribuendum esse, si universam quandam appellationem quaerimus, equidem haud negaverim. At nondum a quoquam indicatum video, duo genera probe discernenda esse, quorum alterum a Theocrito acceptum tantummodo amplificavit, alterum fortunae necessitate coactus ipse finxit. Posterius solum a Vergilio usurpatum esse, falso legitur in Servianis ad ecl. III. 20: „refutandae sunt allegoriae in bucolico carmine, nisi cum, ut supra diximus (ad ecl. I. 1), ex aliqua agrorum perditorum necessitate descendunt.“ A Theocrito primum hoc didicit, ut ejus idyllii tertii ratione habita in omnium quas scripsit eclogarum prima (ecl. II)**) sub Corydonis nomine se ipsum,

*) Mirum est, quod veteres grammatici latini, Servius praef. ad ecl. p. 96 ed. Lion. et Don. vit. XXIII. fin., a Theocrito omnia simpliciter pronuntiata esse contenderunt. Vergilium ipsum aliter sensisse, e disputatione mea apparebit.

**) *Eclogam secundam* omnium primam fuisse, hac in [illegible] *maxime reputandum* [illegible] tempore nondum agrorum

sub Alexidis Alexandrum, Pollionis puerum a se amatum, sub Iollae Pollionem induceret. Quod qui negaverunt, neque reputaverunt illi antiquitatis testimonia, quae collegit Spohnius in Proll. ad hanc ecl., neque exposuerunt, qui fieri potuerit, ut poeta, quamvis imitaretur ibi Theocr. id. III et XI, tamen ab eo desciscens non puellam, sed puerum a Corydone amatum induceret. Immo hac ipsa ecloga vix dici potest quantum lucis affundatur Theocriti idylliis III et IV. Quae de reliquis poetae amoribus traduntur, collecta sunt omnia ab Heynio ad Don. V. 20. Sed juvat et Donati et reliquorum verba ipsa afferre. Et ille quidem haec exhibet: „verum inter omnes maxime dilexit Cebetem et Alexandrum, quem secunda Bucolicorum Ecloga Alexin appellat, donatum sibi ab Asinio Pollione. Utrumque non ineruditum dimisit, Alexandrum grammaticum, Cebetem vero et poetam.“ Praeterea legitur in Servianis ad ecl. II. 1: Alii puerum Caesaris (Alexin) intelligunt, quem si quis laudasset, gratam rem Caesari fecisset“, ad v. 15: „tres dicitur amasse Virgilius, Alexandrum, quem donavit ei Pollio, et Cebetem puerum cum Leria puella, quos a Maecenate dicitur accepisse: unde volunt quidam, per Amaryllida Leriam, per Menalcam Cebetem intelligi,“ et ad V. 89: „aut pastorem quendam pulcherrimum dicit aut choraulam significat, quem legimus admodum a Virgilio fuisse dilectum.“ Pro Leria servile Hieriae nomen reponendum apud Servium esse, admodum probabiliter disseruit Weichertus de L. Var. et Cass. Parm. vit. et carm. p. 88 sqq. Sed longius etiam in hac re amatoria progrediendum esse existimo. Etenim si id demonstrari potest, Vergilium in eclogis praeter Alexandrum Leriam quoque et Cebetem tecte significasse, non poterant hi Maecenatis servi esse, quoniam jam illo tempore poetam in hujus viri familiaritatem pervenisse, ne levissimum quidem vestigium exstat, sed erant Pollionis. Atque magna veri similitudo rei eo paratur, quod etiam Alexandri herus apud Martialem VIII. 56, quam famam Heynius l. l. alios multos sequi dixit,

---

allegoria uti coactus erat. Quod si factum esset, facili negotio eam *etiam ad alia argumenta* transferre pot

falso Maecenas, in Servianis ad ecl. II. 1 falso Caesar fuisse dicitur. Nihil erui potest ex ecl. II. 14 sq., quandoquidem quae ibi leguntur poetica quadam ratione ficta esse possunt, erui potest aliquid ex ecl. III. 76 sqq. Ibi Jollae nomine permotus, quod praeter hunc locum non legitur nisi ecl. II. 57, ubi Pollio tecte notatur, Phyllidem Pollionis servam intelligo, a Vergilio amatam neque de rivalis cujusdam irrisione cogito, sed festive sermonem ad Pollionem aversum puto, a quo poeta pastorum alternis certantium verbis puellam eodem modo impetrare voluit, quo eorundem sermone 84 sqq. Pollionem laudavit, Bavium et Maevium castigavit. Et potuit sane haec esse illa Leria vel Hieria, quam Servius Maecenatis puellam vocavit aliique Amaryllidis nomine indicari dixerunt. Quod poeta v. 84 sqq. Pollionem vero nomine appellavit, non obstabat, quominus in hac re amatoria ficto uteretur. Huic opinioni ex aliis quoque rebus probabilitas accedere videtur. Ea repeti potest e v. 84 sq., ubi poeta Damoetae nomine se ipsum significat, et e v. 107, ubi Menalcas Damoetam Phyllida solum habere jubet. Adde quod ecl. V. 10 sq. Phyllis una cum Alcone et Codro profertur, e quibus posterior certe vere vixisse videtur. Quae si recte disputavi, etiam ecl. VII. 57 sqq. de eadem poetae amica cogitandum est. Num Cebes a poeta in eclogis celebratus sit, in medio relinquo. Potuit eum illo ipso Alconis nomine significare, quem Ursinus, Culicis v. 66 permotus, statuarium esse putavit, ad quem v. cf. quae scripserunt Heynius et Silligius. Quominus eum sub Antigenis nomine ecl. V. 88 sq. latere existimem, prohibent quae Servius dixit eodem loco coll. Donat. vit. V. 20. De laudibus et notationibns vel apertis vel tectis haec fere memorabiliora sunt. Aperte laudatus est a poeta Pollio ecl. III. 84 sqq., Gallus ecl. VI. 64 sqq., Varius et Cinna ecl. IX. 35 (cf. Weichert. poet. lat. rel. p. 158 sq.), Codrus, graecus, ut videtur, ejus aetatis poeta bucolicus, ecl. V. 11 et VII. 21 sqq., ubi quum Corydon poetae personam sustineat, non est quod miremur ea, quae v. 25 sqq. dicuntur. Nam vera videntur quae de hoc *poeta* disserit Ungerus de C. Valg. Ruf. *poemat. iis locis, quos* m indice s. v. Codrus

et p. 303 indicavit. Aperte castigantur Bavius et Maevius ecl. III. 90 sq. (cf. Weichert. rel. p. 308 sqq.), tectius, ut videtur, Cornificius sub Amyntae nomine ecl. II. 39. V. 8 sq. (cf. Unger. l. l. p. 71 sqq.) et pulchra quadam amphibolia Caelius ecl. III. 105 et Anser. ecl. IX. 36 (cf. de priore quae adnotaverunt Serv. et Philarg., de posteriore Weichert. rel. p. 159 sqq.). Postremo in hoc numero habeo, quod ecl. VI. 64 et ecl. X Gallus, ecl. X. 20 poeta ipse, se Menalcam nominans, pastores personati inducuntur, quodque ecl. III. vss. 85 sq., ut mihi recte disputasse videtur Ameisius Spic. p. 7 sq., metaphorico vel allegorico sensu accipiendi sunt.*) Quae praeterea apud antiquos interpretes leguntur (cf. Serv. ad ecl. I. 1. Add. III. 20. V. 1. Add. de Mopso. VII. 21 et quae e cod. Gud. enotavit Heynius ad Don. XVII. 67), merae argutiae sunt. — Jam vero, ut conferam Vergilium cum Theocrito, praeter ea, quae de ecloga secunda dixi, ingeniosum poetae Siculi imitatorem produnt *primum* ecl. IX. 35 sq., in qua cum auctoris id. VII artificiose certavit (cf. id. VII. 39 sqq. 45 sqq.), *deinde* ecl. II. 39. V. 8. 9., ubi quae leguntur, prorsus iis similia sunt, quae de Aegone, Lampriada, Bombyca, Cynisca, philosopho Pythagorico apud Theocritum exhibentur, *tum* ecl. VI. 64 sqq., quamquam ibi poesis bucolicae notio nimium amplificata est, et ecl. X, in quibus ea spectare poterat, quae de Lycida ut caprario Theocritus id. VII. 11 sqq., de semet ipso v. 91 sqq. dixerat, *denique* ecl. III. 105. IX. 36, quibus confirmatur Fritzschii de id. III. 35 meaque de id. VII. 125 sententia. Amplificationem eorum, quae a Theocrito accepit, hujus generis reliqua omnia continent inprimisque illud mirum videri potest, quod pastores etiam per alternos certantes quae ipse sentiret loquentes fecit. At valet etiam

*) Quominus iis adstipuler, quae vir doctissimus p. 8 sq. de v. 109 sp. dixit, impedit me pulchra horum versuum interpretatio, quam primum prolatam a Naegelsbachio Latein. Stilist. p. 451 nunc suam fecit Ladewigus. Neque extremum versum cum Servio allegorice intelligendum puto. Nam tantum abest ut e vulgari explicatione languidus sit, ut ex eo demum videamus, Palaemonem vilicum fuisse, i. e. et nobiliorem et seniorem virum, quem Vergilius non sine justa causa arbitrum certaminis constituit.

de hac re Quintiliani judicium in primo capite laudatum, cui adde quae Spohnius de consilio poetae animo ecl. III. 84 sqq. obversato laudabiliter exposuit in Prolegomenis. Maximi autem momenti est, quod ex ejus modi rebus facile intelligitur, ex cantu amoebaeo, qualis apud Vergilium exhibetur, de legibus a Theocrito observatis nihil posse concludi. Atque haec omnia quum tamquam radices agant in Theocriti carminibus, de reliquis idem dici minus potest. Nimirum vitae condicione coactus novum genus Musae bucolicae condidit, quo pertinent ecl. I. IV. V. IX. Utque concedam, poetam, ut se ecl. V et IX Menalcae, ecl. I Tityri nomine (cf. Wagnerum ad v. 43) significaret, permotum fortasse esse idyllio auctoris sui septimo adeoque in captanda fautorum benevolentia agendisque gratiis paulo pinguius id. XIV imitatum esse, tamen praecipue Asinii Galli (ecl. IV) et Caesaris laudes (ecl. V) a Theocriti Musa prorsus alienae sunt. Ceterum de allegorica eclogae quintae interpretatione praeter interpretes cf. Klausen. l. l. p. 530 sqq.

Caput tertium.

De utriusque poetae sermone.

Apud Probum (p. 348 ed. Lion.) haec leguntur: „Bucolica Theocritus facilius videtur fecisse, quoniam Graecus sermo sic videtur divisus, ut Dorica dialectos, qua ille scripsit, rustica habeatur. Opportunum fuit ergo ei, qui pastores inferebat, ea lingua disputasse. Virgilio tanto factum opus majus, quanto una lingua loquens sensus rusticos aptare elaboravit sine reprehensione sermonis.“ Hoc de indole dialecti Doricae judicium, omissum ab Ahrensio, ubi de ea re disputavit de dial. Dor. p. 398, cum iis conspirat, quae disputaverunt viri docti de Theocriti id. XI. Nam in eo ipsarum formarum asperitate Polyphemi rusticitatem significari praeter alios et Fritzschius affirmavit l. l. p. 24 et Ahrensius. Quum autem hujus

doctissimi uberior exspectetur de dialecto poetarum bucolicorum disputatio, in qua, quod praestans est et acre ejus ingenium, hanc quoque rem accurate illustrabit, id unum mihi sumo, ut Vergilio quoque ita visum esse contendam. Nam quum Romanae literae rusticanum sermonem prae urbano respuerent, id saltem egit, ut uno alterove loco antiquas formas immisceret, quod factum videmus ecl. III. 1. IX. 6 (*cujum pecus* et *necdum* in verbis: „quod nec vertat bene", quamquam non immemor sum eorum, quae dixit Ameisius Ann. phil. et paed. 1850. 61. 4. p. 386). Quominus talia saepius conaretur, deterritus est sine dubio et eorum quibus scripsit judicio et castigatione adversariorum, de qua cf. Don. l. l. XVI. Non recte enim Vossius egit, quod in ecl. VII. 54 antiqua et obsoleta inferre voluit; verissime ibi ex mente Lachmanni ad Lucr. p. 94 librorum scripturam Ladewigus interpretatus est.*) — Huic de dialecto dispu-

*) Hac data occasione opinionem meam proferam de Calpurnii ecl. III. v. 34 sq.

Nec tam nobis ego Phyllida reddi
Exopto, quam quod Mopso jurgetur anhelo.

Ibi praebet unus cod. R 1. (utor siglis Glaeseri) cum maxima parte veterum editionum *jurgetur*, D 4. G. R 2. cum nonnullis editionibus *jungetur, quam ne* pro *quam quod* e correctura, ut apparet, M: Wernsdorfius, quem secuti sunt Beckius et Glaeserus, reposuit *jurgetur* et *anhelo* pro adjectivo accepit. Is exc. VI particulam *quod* posterioris aetatis vitio pro „ut" positam esse censuit et verba *jurgetur Mopso* ex Graecismo explicavit, excitans hanc in rem Amm. Marc. XXVIII. 5: „(Burgundii) salinarum finiumque causa Alamannis saepe jurgabant." Itaque sententiam totius loci huc redire putavit: „Non tam illud exopto, ut ad me redeat Phyllis, quam ut ne cum Mopso sit et quam primum cum illo jurgetur." Contra ejus opinionem non solum hoc facit, quod ita frigidissima prodit sententia, sed etiam illud, quod nequaquam Calpurnius pravo dicendi genere usus est. Nempe accidit Wernsdorfio idem, quod Vossio accidisse in Vergilio dixi; rusticos homines existimavit etiam rustice loqui debere. Quum pleraque, quae propter hanc opinionem vitiosa reliquit, jam a Glaesero correcta sint, hoc quoque loco purgandus poeta a naevis et rescribendum *jungetur* et *anhelo* pro *verbo* accipiendum. Ita sententia est aptissima: „Non tam exopto, ut *mihi* reddatur Phyllis, quam suspiro, quod praevideo, cum *Mopso* eam junctum iri. Significare voluit poeta, tam acerbo Lycidam odio in Mopsum flagrasse, ut quam ipse amasset, licet sibi *non redderetur*, tamen ne inimico obtingeret, vehementissime ex*optaret.*

tationi alia quaedam adjungam, quae mihi ad universam utriusque poesin judicandam fructum quendam afferre videntur. Nihil Vergilius apud pastores suos reperisse videtur, quod simile esset vocabulo σίττα, neque licuit poetae Romano eam linguae Graecae virtutem aemulari, quae posita est in nominativo nominis cum articulo ibi adhibito, ubi alter alterum alloquitur. Ea dicendi ratione Theocritum magna cum vi potissimum in animalibus appellandis usum esse, ii loci ostendunt, quos congessit Ameisius de artic. p. 17. Proxime tamen ad Graecum usum tales loci accedunt, qualis est ecl. VII. 46, ubi tertia verbi persona in enuntiato relativo posita simile quiddam efficere voluit. Cf. quae ad l. l. adnotavit Ladewig. Eodem trahenda locutionum quarundam suavitas, quam quominus aemularetur Vergilius, lingua sua impeditus est. Insigne exemplum hujus generis praebet ecl. IX. 23, in quo quum Graeca verba id. III. 3 τὸ καλὸν πεφιλαμένε, id quod rectissime dixit Gellius N. A. VIII. 9. 8, quamvis concedere noluerit Stephanus in Virg. et Nas. Theocrit. imit. p. 10 sqq., non translaticia, sed nativae cujusdam dulcedinis esse intellexerit, totum locum aliter convertit. Nec ὀνοματοποίητα quae vocantur tam crebra in Latina quam in Graeca lingua reperiuntur. Quocirca videmus Maronem, ubi haec obvia apud auctorem fuerunt, aut versuum numeris literarumque sono (id. V. 7 coll. ecl. III. 26 sq. id. VII. 48 coll. ecl. IX. 36) aut alia sententiarum conformatione (id. V. 89 coll. ecl. III. 64 sq. 72) cum eo certare studuisse. Vide quae ibidem §. 4 dixit Gellius de id. V. 89. Verbo etiam disputare juvat de iis appellationibus, quibus uterque poeta amores significat. Dulcissima sunt hoc in genere quae apud illum leguntur λίπος (id. III. 18), quod recte e schol. scripsit Ahrensius, et μελίμαλον, quod idem exaravit, vel γλυκύμαλον, quod vulgo legitur (id. XI. 39), suavia etiam τερπνόν (II. 158), ἐρωτύλος (III. 7), ἐρωτίς (IV. 59), ἁδύς (XX. 44), quod jure ab Ahrensio servatum censeo. Et his quum pleraque linguae culpa, ut videtur, Maro non posset imitando exprimere aliaque, veluti *cura* (ecl. I. 58. X. 22), *ignis* (ecl. III. 66), *furor* (ecl. X. 38) substitueret, ut vocem Venus *de puella amata poneret* ecl. [illegible] latus est poeta

Graeci auctoritate id. III. 7 et IV. 59. Atque haec mihi causa est, cur Ameisio adsentiar, qui Adn. p. 19, quamquam ipse in editione aliter statuit, Ἐρωτύλος et Ἐρωτίς literis majusculis reponendum putavit. Quae sententia propterea etiam magnam veritatis speciem habere videtur, quod in hac ipsa re, ubi potuit Vergilius, secutus est Theocritum. Etenim *conjugem* pro puella amata posuit ecl. VIII. 18 (coll. Theocr. id. VI. 26), pro amato juvene ibid. 66 (coll. id. II. 3). — Alia quum posset, tamen noluit ab auctore assumere. A deminutivis enim et hypocoristicis, quae aliquoties apud Theocritum inveniuntur (cf. praeter III. 7. IV. 59 etiam IV. 20. 55. 58. V. 40. VII. 51. 132. XI. 60. XIII. 12) et in simili poeseos genere, ne Catullum testem excitem, magna cum suavitate apud Moreti auctorem, ingenium ipsum Maronis quam maxime abhorruisse, recte dixit Silligius proœm. Mor. p. 308 ed. Wagner. Item ex ingenio poetae repetendum puto, quod elliptico dicendi genere a Theocrito multis locis eleganter usurpato semel tantum usus est ecl. IX. 1, atque id ne in hunc quidem locum adhibiturus fuisset, nisi e sequenti singulari numero *ducit* facile ad verba priora numerus pluralis *ducunt* repeti potuisset *). — Contra poetae Graeci exemplo, apud quem saepissime ad animum alterius ad sequentia advertendum leguntur ἠνίδε vel ἠνίδε, quemadmodum Ahrensius scripsit (I. 147. II. 38. III. 10. V. 23), Ϝᾶσαι (I. 147. III. 12. IV. 50. X. 41. XV. 65), ἰδέ (V. 30, ibi recte ab Ahrensio revocatum. 37), ὁρῆτε (V. 110), ὄρη (VII. 50. XV. 12), ipse quoque aut *ecce* (II. 46. III. 50. V. 66. IX. 47)

*) A vero longe aberraverunt, qui locutionem „pedes aliquem ducunt" sumptam putaverunt ex id. XIII. 70 et XIV. 42 ἃ πόδες ἄγον, quibus verbis dissimillimus color est. Recte enim priore loco Wuestemannus disseruit, verba Theocritea eum significare, qui temerario cursu se in quaevis loca deduci patitur. Nec apte cum verbis Vergilii Vossius comparavit Plin. Ep. VII. 5 „ad diaetam tuam ipsi me, ut verissime dicitur, pedes ducunt," cum quibus conferre licet Tib. II. 6. 14 „pes ipse redit." Prorsus similia sunt Vergilianis, quae leguntur Varr. R. R. II. praef. 6: „propterea quod te empturientem in campos Macros ad mercatum crebro adducunt pedes

aut *en* (V. 65. VI. 69 et peculiari sensu subjecto, de quo cf. Wagner., 1. 72 sq. VIII. 7 sqq.), aut *aspice* (II. 66. IV. 50. 52. V. 6. VIII. 105. IX. 58, et quidem II. 66 et IX. 58 spectans aperte id. II. 38) eadem de causa posuit. Hanc observationem etiam ad interpretationem utilem esse, perspexit vir Theocriti lectione maxime imbutus Ameisius, Spic. p. 10, etsi ibi Graecum poetam non commemoravit. Nam quemadmodum apud Theocritum I. 147. V. 37. 110. XV. 12. 65 quae sequuntur post θᾶσαι, ἰδέ, ὁρῆτε, ὅρη per se accipienda sunt et exclamationis vim habent, ita apud Vergilium ecl. IV. 52 quae leguntur post verbum *aspice* exclamationem, non interrogationem continent. Huc revoco etiam structuras quasdam, in quibus Maronem Siculum poetam aemulatum esse persuasum habeo. Quae quum ad utriusque linguae comparationem perquam utiles sint, omnes hic in unum locum conferam. Primum commemoro usum praepositionis *ab*, qualis exstat ecl. I. 8 (cf. similem usum praepositionis ἀπό id. I. 145 ibique intt. et praep. ἐκ id. VII. 15 et Ameis. Adn. p. 41). Hanc structuram saepius usurpasse Vergilium, loci ab interpretibus allati ostendunt, neque tamen id impedit, quominus ejus origo a Theocrito repetenda putetur. Non aliter judico de usu quodam conjunctionis *et*. Ea enim eodem modo ecl. III. 62 antistrophae adhibita est atque factum videmus apud Theocr. id. V. 96. 106. 122 (coll. IV. 9), quos locos afferre debebat Wagnerus, quum in Heynii editione contra eos disputaret, qui *at* inferre voluerunt. Videlicet in his versibus copulationis magis est quam oppositionis ratio habita. Nec desciit poeta a Theocriteo loquendi genere, quum ecl. I. 27 interrogationem a particula *et* inciperet (cf. id. IV. 7. V. 25. 39 et Wagner. Quaest. XXXV. 7. g.). Semel posuit particulam *que* explicationis gratia, ubi apud Theocritum δέ adhibitum erat (cf. ecl. III. 34 cum id. VIII. 16 et Wagner. Quaest. XXXIII. 10). Notabilis est praeterea significatio et structura verbi *suadendi* ecl. I. 56, quo convertit Graecum πείθειν (id. VII. 153 coll. id. IV. 11), formula *si nescis* ecl. III. 23 (coll. Ov. Ep. XX. 150), quo interpretatus est id. XV. 91 ὡς εἰδῇς καὶ τοῦτο, quod ex utriusque

que versus collatione clare apparet*), usus generis neutrius *longum* pro *longe* positi ecl. III. 79 (cf. id. II. 142. IV. 37, ubi ipse Ameisius in interpretatione *longum* scripsit, cum Ahrens. Phil. l. l. p. 427), quod Horatius quoque art. poet. v. 459 e Graeco assumpsit, *omissio particulae comparandi* ecl. IX. 36 (cf. id. XIV. 38. 51, quamquam de priore etiam nunc aliter sentit Ahrensius), denique *tota periodi conformatio* ecl. IV. 53 sqq. Ea enim tam similis est ei, quae habetur Theocr. id. X. 32. 33, ut equidem non dubitem, quin Vergilius, qui tam penitus quasi imbiberit verba Theocriti, hanc quoque ab eo deprompserit. Eadem fortasse inferenda est etiam in id. XI. 73. Multo fortior certe oratio est, si e cod. M. reponitur αἴθ' pro αἴκ', quod suadere videtur etiam imitatio Vergilii ecl. II. 71. „Quin tu aliquid saltem potius etc.", et ad amussim respondet Hom. II. χ. 41. 42. Nolo autem hoc loco silentio praeterire Ameisii verba, quae exhibuit Spic. p. 6. Putavit enim vir doctissimus, exemplis Vergilianis, quae collegerunt Wagner. in IV. 6 et Jahn. in VI. 61 defendi posse Theocr. V. 38, in quo pro καί bis posito verbum repetitum est et semel in priore membro posita particula. Hanc sententiam fortasse ipse abjecit, iis permotus, quae scripsit Ahrensius Phil. l. l. p. 438 sqq. At mihi ne hujus quidem viri spectatissimi conjectura ab omni parte satisfacit. Offendor enim gravissime particula κα in hac proverbiali locutione usurpata, idque eo magis, quod sic vis ac potestas repetiti verbi infirmatur et infringitur. Hoc ipse Ahrensius vidisset, nisi tanto amore illam particulam una cum pronomine ἑ amplexus esset. Itaque reputanti mihi, in codd. K. P. et apud Joann. Dam. legi ὥς τε, haec conjectura in mentem venit:

Θρέψαι μὰν λυκιδεῖς, Θρέψαι, κυνάς, ὥς τέ φάγωντι.

*) Hanc non levem causam esse puto, quamobrem vulgaris verborum interpunctio, quam mutavit Ahrensius, retinenda esse videatur. Accedit aliud argumentum in versuum concinnitate positum, quam scio virum amplissimum aliis locis plurimi fecisse. Haec duo mihi infirmare videntur quod eum ad mutandam interpunctionem permovisse suspicor. Scilicet plerumque ejusmodi formulae non collocantur in enunciati principio. Cf. praeter Wuestemann. Schneidewin. ad Sophocl. Phil. 9'

„Nutri, quaeso, nutri, o canis, lupos catulos, ut te devorent". Cf. ad sententiam v. 44. ὡς τὲ commendasse videtur jam Ameis. praef. p. X, quem vide etiam de infinitivo pro imperativo posito Adn. p. 66. — Possem hic singula vocabula memorabiliora enumerare, quae Vergilius Theocrito debuit, nisi satius videretur, eorum mentionem una cum disputatione de nominibus propriis a poeta Siculo assumptis rejicere in finem totius de imitatione quaestionis. Itaque ea tantummodo hoc loco in medium proferenda sunt, quibus prae Theocrito Vergilii Musa commendari videtur. Tria me invenisse gaudeo, quorum unum in *pronominis possessivi*, alterum in pronominis *ille* usu, tertium in *quaesita quadam literarum elegantia* positum est. Verum est, quod viri docti non raro observaverunt inprimisque me saepe in scholis de lingua latina habitis admonuit praeceptor meus carissimus, Klotzius, latinam linguam ad exprimendam sensuum teneritatem et mollitudinem maxime idoneam fuisse. Inde derivandus est ille pronominis possessivi usus, quem ad amicum animum testificandum etiam Vergilius non raro admisit (cf. ecl. I. 75. II. 52. V. 51. VII. 22. 40. 59. X. 2). Hic usus etsi Graecis non prorsus ignotus est, tamen apud Theocritum, cui in poesi bucolica pronominis ita usurpandi saepissime occasio oblata erat, si recte numeravi, bis tantum reperitur id. V. 1. 145. Nam contra Adertum, qui *Theocr. Append.* p. 8 sq. in id. II. 145 hanc significationem inducere voluit, dixit Ameis. Ann. phil. 1845. 45. 2. p. 135, etsi fortasse verba τᾶς ἁμᾶς αὐλητρίδος eodem familiaritatis sensu intelligi possunt, quo Adertus Φιλίστας τᾶς ἁμᾶς accipienda putavit. Neque audiendus est Wordsworthius eundem sensum intrudens in id. V. 90 et XXVII. 2.*) Alterum, quo commendatur poesis

*) Nihilominus tamen adj. λεῖος id. V. 90 removendum puto. Quos enim locos attulit Ameisius de art. p. 41 ad defendendam hanc articuli collocationem, ex iis eximendos censeo id. XX. 24. XXI. 23. XXIX. 33. Bion. V. 2. Mosch. I. 5, quoniam in his omnibus adjectivum praedicati vi accipiendum est, possuntque cum ejusmodi locis Romanorum talia conferri, quale est Verg. ecl. I. 29: „Candidior postquam tondenti barba cadebat." Conjectura nunc remotus est articulus ab Ahrensio id. XV. 145. XXVII. 57, non curandus id. XX[illegible] 181, quod ibi pronomen [illegible]tivum, non articulus l[illegible]

Vergilii bucolica, est creber ad evitandum pronomen pronominis *ille* usus: a priore enim tam studiose in eclogis abstinuit, ut exceptis ecl. II. v. 4, in quo *ibi*, et ecl. III. v. 35, in quo *id quod* legitur, neque ipsum neque derivata ab eo voculae inveniantur. Quandoquidem de pronominis *ille* significatione docte egit Wagner. Quaest. XXI, ego hanc laudare satis habeo atque eos potius locos tractabo, in quibus poeta hoc vocabulo pronomen τῆνος convertit. Permotus enim iis, quae dixerunt de voce τῆνος Ahrens. de dial. Dor. p. 267 sqq. et Ameis. l. l. p. 143 sqq., diligenter quaesivi, num quid ad litem dirimendam e Vergilii imitatione conjicere liceret: licere intellexi. Non potuisse Vergilium pronomen *ille* inferre, ubi τῆνος secundam indicat personam vel cum contemptu dicitur, quoniam sponte apparet, ejus modi loci e quaestione excipiendi sunt et ita potius dicendum, Graecos, quum non haberent pronomen, quod latino *iste* responderet, ad illa quae posui designanda modo propinquitatis modo lon-

---

XXX. 9, quoniam hoc idyllium recentissimae aetatis est. Eo loco, de quo agitur, pro λεῖος conjicio αὐτὸς scriptum fuisse. Requiritur enim fortior oppositio, quum ὑπαντᾶν nihil aliud sit nisi quod nostrates dicunt *entgegenkommen*, Romani *se offerre*. Quare temere egerunt, qui existimaverunt, Vergilium ecl. III. 66 ὑπαντᾶν convertisse „ultro se offerre." Legerat sine dubio αὐτὸς ὑπαντῶν. Contra pronomen αὐτός v. 99 indicat, in stropha aliquid turbatum esse, quod quid sit, alio tempore demonstrabo. Restat id. IV. 49, quem versum non recte ab Ahrensio emendatum puto Phil. l. l. p. 435. Primum rursus reponendum est e conj. Hermanni ῥοικόν τι, deinde initio versus nihil mutandum, sed e scriptura cod. k πάταξα in fine scribendum ὥς τυ πατάξαι. Non raro infinitivo ita ὡς additur, ut consilii vis, quae in eo inest, aut magis efferatur aut ad effectus potestatem accedat. Locum prorsus similem unum inveni, ubi non debuit e Reiskii conjectura ὥστε pro ὡς recipi, Eur. Alc. 368 ed. Monk.

εἰ δ' Ὀρφέως μοι γλῶσσα καὶ μέλος παρῆν,
ὡς ἢ κόρην Δήμητρος ἢ κείνης πόσιν
ὕμνοισι κηλήσαντά σ' ἐξ Ἅιδου λαβεῖν,
κατῆλθον ἄν.

Cf. praeterea Hertlein. ad Xen. Anab. I. 8. 10. et ad Cyr. I. 1. 2. Schneidewin. et Hermann. ad Soph. Ant. 292. Klotz. ad Devar. II. p. 764 sq. Nos saepe in convertendis hujus generis locis verbo auxiliari *„können"* utimur.

gioris distantiae notionem magis prementes οὗτος et ἐκεῖνος vel Doricum τῆνος idem atque pronomen ἐκεῖνος significans usurpasse. Hos igitur locos si exceperis, pronominis *ille* apud Vergilium et pronominis τῆνος apud Theocritum usum amicissime conspirare, ex iis videbis, quae Wagnerus et Ameisius disputaverunt, nisi quod poeta Romanus saepius etiam quam Siculus in eclogis — de his autem solis hic dissero — poetica quadam praestantia spatii vel temporis remotioris significationem extulit. Est autem in transferenda voce τῆνος pronomine *ille* usus loco apertissimo ecl. X. 13 sq. (coll. id. I. 71. 72), non minus fere apertis V. 49 (coll. id. I. 4 sq.). VIII. 8 (coll. id. VII. 63). VIII. 91. 103 (coll. id. II excepto ephymnio priore v. 31. 30. 44. 60); idem tamen *illum* pro τὸν dixit ecl. VIII. 43 (coll. id. III. 16). Tertia quaedam Vergilii virtus in eo cernitur, quod literarum sono saepe rem ipsam significare studuit. Cf. ecl. I. 56. III. 27. 55 sqq. V. 46 sqq. 82 sqq. VII. 13. Quod artificium quamquam a Theocrito non neglectum est (vid. e. g. II. 38 sq.), tamen majore cum diligentia poeta Romanus coluit. Denique ad haec adjungo singulare quoddam artificium, quo usus est Vergilius ecl. VIII. 20: „et fragilis incende bitumine laurus.“ Etenim adjectivum *fragilis* eo consilio adscivit, ut utriusque significatus ratione habita, quem tenet subst. fragor, et celeritatem, qua combusta est laurus, et strepitum in comburendo denotaret. Cf. Klotz. lex. s. v. fragilis et Theocr. II. 23 sqq., quos versus imitatus est. His et talibus confirmatur Horatii judicium, quatenus ad eclogas pertinet, Sat. I. 10. 44 sq. *Molle atque facetum Vergilio annuerunt gaudentes rure Camenae.*

Venio jam ad eas res, quas quum ex parte in primo capite, ubi quid e vita ipsa ab utroque poeta adumbratum esset, demonstrare conatus sum, breviter attigerim, hic uberius tractabo, dico vocabulorum repetitiones et symmetriam in utriusque carminibus conspicuam. E *repetitionibus* principem locum ea tenet, quae invenitur post caesuram bucolicam, de qua ipsa infra dicendi locus erit. Locos Theocriti omnes, qui huc pertinent, collegit Fritzschius p. 20, quibus addendi sunt Vergiliani. Aperte iteratio deprompta est e *Theocriti primo* idyllio in posteriore ephymnio

ecl. VIII, aperte etiam ab eodem ecl. X. 11 (coll. id. I. 67) et V. 46 (coll. VIII. 76 sq.) a Moscho ecl. IX. 17 (cf. M. III. 11). Tum reperitur ea in versu ter similiter composito ecl. I. 75. VII. 44. X. 77, praeterea VI. 25. VIII. 31 nec dissimilis est ecl. VI. 80, nisi quod ibi vocula et interposita est. Peculiaris generis sunt ecl. II. 14. 15. X 20. 21, quos cf. cum id. I. 1. 2. 80. 81, et VIII. 7. 9. coll Theocr. I. 100. 101. 105. 106 et Fritzsch. l. l., quamquam apud Theocritum continuo in alterius versus principio ea vox iterata est, quae posita erat post caesuram bucolicam prioris. Ex hac observatione apparet, Macrobium in eo capite, quo de iis, quae a Vergilio ipso figurata sunt disseruit, Saturn. VI. 6, non recte §. 12 ed. Jan. inter ea repetitionem ecl. X. 11 retulisse. Rei criticae eandem afferre utilitatem, perspicitur ex ecl. VIII. 109. Ibi optimi codices inter eosque Mediceus hoc praebent „Parcite, ab urbe venit, jam, carmina, parcite Daphnis". Hunc ordinem a Vossio receptum Wagnerus sibi eo confutare visus est, quod contulit v. 61. Nec tamen recte egit vir doctissimus. Nam v. 61 „Desine Maenalios, jam desine, tibia versus" eodem ordine procedere debuit atque ephymnium antegressum „Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus;' ultimus vero versus accommodandus fuit posterioris cantilenae ephymnio priori „Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim". — Alia vocis antegressae repetitio invenitur apud Theocritum omnino in parte versus posteriore saepe post caesuram legitimam. Cf. id. I. 65. 83. 130. II. 43. 98 IV. 42. V. 60. VI. 5. VII. 74. VIII. 11. 12. 14. 17. 25.*) 53. IX. 14

*) Utar hac occasione ad conjecturam aliquam in medium proferendam. In idyllii octavi parte priore quicunque eam composuit operam dedit, ut, ubi monostichis loquerentur pastores (nam recte Ahrens. v. 25 Menalcae, sequentes Daphnidi tribuit), repetitione alicujus vocabuli versus in duas partes discinderetur. Id in solo v. 1 non videtur factum esse. At offendit ibi non solum illud, quod, si τίνα legimus, ἄεθλος masculino genere de pignore intelligendum est (nam hic vocis usus, quem adhuc soli grammatici testati sunt apud Hermann. Op. V. 82, neque debuit a Wordsworthio in id. XXI. 5 intrudi neque in nova Passoviani lexici editione pro re explorata sumi), sed codicum etiam lectiones [illegible]liud quiddam suadere videntur. Praebent enim h. 9. a. L. χἄμμιν eodemque duci

XI. 63. XV. 82. 90, ubi nunc in priore membro ποτίτασσε scripsit Ahrens. 146. XVI. 13. XX. 36. XXIV. 9. Bion. I. 29. 36. 98. III. 17. Ex his memorabiles sunt praeter ceteros Theocr. IV. 42. VIII. 14. XI. 63. XV. 146. Bion. I. 29, quoniam in primo post subst. positum est adjectivum ex eo compositione factum, in secundo (etiam ex conj. Ahrens.) alia verbi forma repetita, in tertio post verbum finitum participium, in quarto et quinto post vocabulum simplex compositum. Qui similis esset id. XV. 90, qualis ab Ahrensio versus exaratus est, indagare non potui. Apud Vergilium invenitur haec repetitio ecl. I. 33. II. 16. 20. 68. III. 2. 6. 30. (bis-binos) 59. 60. 62. IV. 3. 34. 40. V. 35. 42. 44 (post positivum comparativus positus). 52. VII. 53. VIII. 61. 83. X. 3. 23. 69. Assumptam eam esse a Theocrito apparet ex ecl. VIII. 83, qui, quamquam sententia et iteratio est deprompta ex id. II. 23, tamen in iterationis genere potius ad id. VI. 5 factus est, et ex ecl. X. 23 coll. id. I. 83, simillimique inter se sunt ii versus, in quibus magna interdum cum vi in Graecis post καί, in Latinis post *et*, *atque*, *que* vox iterata est. Cf. id. I. 65. II. 43. V. 60. VII. 74. XI. 63. XV. 82. XX. 36. XXIV. 9 cum ecl. IV. 34. V.

---

quod legitur in v. 6. ὅ κεν ἀμῖν (ὅ κεν 6 *sec.*). Praeterea a. exhibet καί τι ἰτα, ut post τι aliquid erasum sit. In fine versus ἄρκιος est in k. a. p. s. 9. L., ἄρκιον v. 6 (ubi ν *sec.*). Quare sic locum restituendum puto: καὶ τί νυ θησεύμεσθα; τί χἀμῖν (χἀμὶν) ἄρκιον εἴη; Intelligitur, voculis τί νυ in τίνα corruptis, etiam ἄρκιος pro ἄρκιον et pro „θησεύμεσθα τί“ θησεύμεσθ' ὅτις aut ὅστις scriptum esse. Verbi genus medium et vocem ἄρκιον explico, ut fecit Ameis. Adn. p. 54. Particula νυ, de qua cf. Hartung. Part. II. 101 sq., legitur nunc in ed. Ahrens. I. 78. Ceterum facile apparet, alteram versus partem altera eodem modo explicari, quo factum v. 17. 25 (coll. XVI. 13). Hoc ipsum mihi in causa est, cur improbem Ahrensii conjecturam; Wordsworthii sententia et propter vocis ἄεθλος significationem et propter transpositionem particulae καί rejicienda est. Propter hanc repetitionis legem etiam id. XXII. 117 ex auctoritate codd. 23. D. M. ὡς scribendum videtur, quamquam optimus 9 ὅσσ' habet. Nam eadem particula fraudi librariis fuit id. XXV. 3, ubi mihi non dubium videtur quin secundum codd. w. 9. 18. 23. M. ὡς ἐρεείνεις reponendum sit. Saepenumero enim poetae Graeci ὡς dixerunt, quum ὅσα vel ἅ exspect[illegible] Cf. Hom. h. in Cer. v. 172 ὦκα δὲ μητρὶ ἔννεπον, ὡς εἶδόν τε καὶ [illegible] et quae adnotaverunt Hermann[illegible] h. l., Wunder. ad Son[illegible] v. 1119. Matth. §. 485. p. 107

35. 42. X. 23. Sed exaggerasse rem poetam Romanum, probant ejusmodi loci, ubi in Graecis iteratio non habetur. Cf. id. IV. 2 cum ecl. III. 2, id. V. 80 sqq. cum ecl. III. 60. 62. In duobus postremis locis eam ad evitandum pronomen à admissam esse, inde perspicitur, quod apud Theocritum pronomen αὐτός pro repetito nomine usurpatum erat. Atque ut hanc rem hoc ipso loco profligem, tertiam quoque pronominis evitandi viam poeta ingressus est. Interdum illud prorsus omisit. Inde facilem explicatum habent tales structurae, quales sunt ecl. V. 36 sq. IX. 2 sq., de quo loco vid. Ameis. Spic. p. 15 et Ladewig. in not. Atque etiam ad crisin exercendam haec quaestio affert quandam utilitatem. Etenim quod Reiskius olim id. IV. 2 ex ingenio scripsit αὐτός, id propter Vergilii imitationem ecl. III. 2 probaverunt Koehler. Not. et Emend. in Theocr. p. 19 et in altera edit. Valckenar. Contra facit non solum, quod, si αὐτός legisset Vergilius, non nomen Aegon iterasset, sed *ipse* scripsisset, verum etiam, quod noluit pronomine *id* uti. Inde concludere, poetam αὐτάς non reperisse, aeque inconsideratum est, ac si quis e v. 71 „cras altera mittam" conjiciat, apud Theocritum id. III. 11 pronomen τοι removendum esse. Nam ibi Vergilius, quoniam secundae pronomine personae uti non poterat, *ei* ponere debebat, si accurate auctorem exprimere volebat. Neque ad scripturam οὗτος, quam aut praebent aut suadent nonnulli codices, aliquid auctoritatis e Vergilii versu erui potest, quoniam pronomen *hic* non vitavit poeta. Singularis quaedam repetitio est, quum idem vocabulum e chiasmo quodam in principio et in fine versus ponitur, quam a Theocrito id. I. 80 acceptam usurpavit Maro ecl. X. 39 et VII. 4, quamquam in iis versibus, quos hic spectavit (id. VIII. 3 sq.), ea vocula, quae in principio versus posita erat, post caes. buc. repetita est: item, quum vocabulum aliquod bis in priore, semel in posteriore versus parte legitur, cujus generis exempla quum apud Theocritum saepius reperiantur (cf. I. 113. II. 82. III. 42. VII. 77. XV. 123), bis inveni apud Vergilium ecl. VIII. 41. 44, qui vss. ex id. II. 82 (III. 42). VII. 77 adumbrati sunt: denique una vox sine intercapedine iteratur ἀναδιπλώσει initio id factum

est a Graeco poeta in nomine proprio I. 121. XI. 72, a Romano posterioris versus ratione habita ecl. II. 69, in vocabulo φεῦ ab illo IV. 26. V. 86, in ναί IV. 54, ex quibus priores spectans hic duplicavit *heu* II. 58. III. 100: ante caesuram bucolicam a Theocrito VI. 8. VIII. 73 et ex imitatione a Vergilio V. 64. VI. 44 et III. 79. Nam hunc locum postremum nominavi, quoniam mihi de eo cum Ameisio agendum est. Putavit enim vir doctissimus Spic. p. 7, in verbis „vale, inquit", repetitae vocis vale primam syllabam per totam thesin ita producendam esse, ut ultima in arsin sequentis pedis caderet, ubi per elisionem quantitas ejus supprimeretur. Contra mihi ex comparatione reliquorum et Theocriti et Vergilii versuum apparere videtur, vulgarem rationem, ex qua servatur etiam caesura bucolica, tenendam et amplexandam esse.

Jam transeundum est ad eas repetitiones, quae non unius versus finibus continentur. Interdum apud poetas antecedentis versus unum vel plura vocabula in principio alterius tertiive iterum ponuntur, quod factum apud Theocritum id. I. 142. 143. VII. 118. 119. XII. 1. 2. XXIV. 72. 73, apud Vergilium ecl. IV. 24. 25 (nam vera videtur Vossii distinctio). 60. 62. V. 10. 12. Deinde vox antecedentis versus ita in sequenti repetitur, ut nova aut verba aut sententiae addantur, quibus, cur iterata vox sit, appareat (cf. Theocr. id. I. 29. 30. 95. 96. 144. 145. VII. 57. 59. XIII. 43. 44. XXIV. 7. 8 cum ecl. I. 28. 30. VIII. 55. 56. IX. 27. 28 quibus similes sunt ecl. V. 65. 66, et Hermann. ad Bion. p. 50). Ab hac repetitione diversa est simplex anaphora, per quam duae sententiae vel sententiarum partes ab eodem vocabulo incipiunt (cf. id. VII. 149. 151 cum ecl. IV. 50 52. V. 27. 29). Injuste facerem, Vergilio in his quoque rebus Theocriti imitationem attribuens, nisi eum in reliquis, quae similia sunt, illum secutum esse compertum haberem inprimisque poetam septimum idyllium in deliciis habuisse, in quo omnia harum repetitionum genera conjuncta reperiuntur, permulta ostenderent. In eclogae quidem IV vss. 60. 62 certasse videtur cum id. XXIV vss. 8 et 9. Singularis est ea repeti[illegible] quum altera pars pr[illegible] in posteriorem ad

tur, quod ad Theocriti exemplum id. IX. 1. 2 fecit Vergilius ecl. V. 51. 52, ut animadversum est a Briggsio, et similiter ecl. IX. 64. 65. Quam utilis sit hujus imitationis observatio facile demonstrari potest. Nam nisi ecl. V. vss. 51. 52 ipsa repugnarent, ex alio Vergilii loco (ecl. III. 58) non minus quam e schol. Genev. conjicere posses, id. IX vss. 1. 2 in unum contrahendos esse, et ita Wordsworthius solo Vergiliano versu permotus revera faciendum putavit*). Peculiare quiddam etiam ea repetitio habet, quum aliqua vox bis in priore, semel in posteriore versu collocatur. Cf. Theocr. I. 71. 72. 74. 75. II. 38. 39. XVIII. 10. 11. Hanc Vergilius semel adscivit ecl. X. 13. 14, spectans. id. I. 71. 72. Hoc si Ahrensius attendisset, ei conjecturae, quam ad v. 75 (74) protulit, aliam addere poterat. Mihi enim perquam verisimile videtur quod pro πολλαὶ δ' αὖ conjecit πολλαί οἱ. Hac admissa conjectura πολλαί vel πολλοί bis in priore, semel in posteriore versu collocatum est, οἱ initio prioris et posterioris. Eadem orationis elegantia nascetur in versibus, qui his respondent, 71 et 72, si scripseris v. 71 καί pro μάν. Atque suadere id videtur imitatio Vergiliana. Etenim hic prorsus eodem modo *etiam* bis v. 13, semel v. 14 posuit, praeterea *illum* semel v. 13 et 14. Magis etiam Vergiliani versus cum Theocriteis conspirarent, si e cod. Rom. Pier. scriberemus: „Illum etiam lauri, illum etc." At videtur poeta propter numerorum volubilitatem repetitionem vocabuli „etiam" praetulisse. Cognatum est, quod Theocritus id. I. 77 sqq. ἦνθε et ἦνθον magna cum vi et suavitate per plures strophas repetiit, ad ejusque exemplum se composuit Vergilius ecl. X. 19 sqq. Theocrito in hoc orationis colore praeivisse videtur Homerus Od. Θ. 322 sq., Vergilio non Homerus, quod putavit Ernesti. l. l., sed Theocritus praeivit. Nec minus suavis est iteratio nominis proprii apud poetam Siculum III. 3. 4, id quod perspexit Romanus, qui hunc locum ecl. IX. 23. 24. imitatus est. Concedendum tamen est, hunc saepius quam illum huic orationis colori indulsisse, cujus rei exempla plurima vel ecloga

*) Accedere aliam causam, in eo positam, quod Vergilius versus Theocriteos nonnunquam in brevius contraxit, hic indicasse satis erit.

prima praebet. Restat unum, quod memoratu dignum videtur. Apud Theocritum nonnunquam et in principio et fine totius aut cantilenae aut versuum complexus eadem vocabula reperiuntur. Vide id. X. 26 et 36. VII. 52. 61. 83. 89, quibus locis cognati sunt id. II. 3. 10. VII. 148. 154. Hinc deprompta sunt quae similia leguntur apud poetam Romanum ecl. IX. 39. 43. 46. 50. VIII. 1. 5. 85. 89, quibuscum cf. ecl. I. 47. 52. Quare mirari satis non potui, quum Ahrensium stropharum causa — aliam enim investigare nullam potui — id. VII. v. 61 ejecisse viderem. Poeta enim quoniam in hoc idyllio paullo altius assurrexit, diligentissime quae huc faciunt amplexanda et conservanda existimo. Idem autem idyllium poeta Romanus in tota poeseos indole pariter atque in colore singulis versibus addendo maximopere ante oculos habuit.

A variis his repetitionum generibus progrediendum est ad eam rem, quae intima cognatione cum iis continetur ac ne divelli quidem interdum potest, ad *versuum concinnitatem*. Atque, ut a levioribus incipiam, saepe singuli versus, quamquam non iteratur aliquod vocabulum, tamen sententia ipsa in duas partes aequales discernuntur. Cf. Theocr. IV. 55. VI. 45. X. 11. 13. XV. 144. XVI. 19. 20, quamquam VI. 45 et XV. 144 cognatae significationis vocabula posita sunt, (Mosch. I. 5. 12. 15) et Vergil. II. 18. 53. III. 58. IV. 57. X. 8. Deinde et Theocriti et imitatoris Vergilii poesis maxime eo conspicua est, quod non raro per plurium versuum complexionem ea invenitur orationis symmetria, ut ii sententiis et, quoad ejus fieri potest, etiam verbis aptissime inter se respondeant. Hanc partium aequabilitatem quum sedem tamquam propriam in cantu amoebaeo habere demonstraverit Zetzschius in dissertatione cui inscribitur: „Secundum amoebaeorum carminum leges denuo in examen vocatur locus Theocr. Id. VIII. 33—60“ p. 8 sqq., tum inveniri apud Theocritum etiam in aliis locis permultis, ea ostendunt, quae collegit Fritzschius l. l. p. 23*). Itaque reliquum est, ut eos versus enumerem, in

*) *Quanta utilitas ex hujus legis observatione ad emendandos Theocriti versus redundet, docume* [illegible] *ssima Ahrensii edit*

quibus eadem sententiarum verborumque aequabilitas apud Vergilium reperitur. Sunt autem exceptis carmi[illegible]ibus

Vide id. I. 11 coll. Philol. l. l. p. 407, id. V. 93 coll. p. 442, id. XVIII. 27. Quare veniam impetrabo a viro doctissimo, si ipse quoque eadem lege fretus meam qualemcunque opinionem de aliquot locis proposuero. Quod ejecit id. VIII v. 29, ejus rei causa, nisi egregie fallor, non alia est nisi ea, quae Briggsium permovit, ut χοὶ μὲν παῖδες ἄρ' εἶπον conjiceret. Et recte profecto doctus ille Anglus contendit, caprarii voluntatem judicandi significandam fuisse antequam canere inciperent. Nec tamen aut illius conjectura aut versus omissio, quem consulto poeta antegresso accommodavit, probanda est, quum unius literae mutatione omnis difficultas sublata videatur. Ita enim versum scribendum puto: χοὶ μὲν παῖδες ἀείδεν, ὁ δ' αἰπόλος ἤθελε κρίνειν, i. e. „et pueri quidem ad canendum, caprarius vero ad judicandum paratus erat." Premenda enim est h. l. significatio verbi ἐθέλειν, de qua cf. Buttm. Lexil. p. 26. Frank. ad Dem. Ol. I. 1. Passov. lex. s. v. βούλομαι et ἐθέλω, e verbo ἤθελε autem ad prius membrum ἤθελον cogitatione addendum est. Ejusdem generis sunt id. XV. 144. XXII. 25. Verg. ecl. IX. 16. 35, fortasse etiam ecl. III, 33: „Est mihi namque domi pater, est injusta noverca." De quo versu explicans Ameisius Spic. p. 6 non recte mihi dixisse videtur, alterum *est* pro copula *et* positum esse. Nam iis certe locis, quos congessit Wagner. ad IV. 6 (Jahnii editione, quem laudavit ad VI. 61, mihi uti non licuit), semper in priore membro *et* aut *que* antecedit. At fateor, mihi illo loco nihil e sequenti membro repetendum, sed substantivum *pater* cum emphasi dictum videri, ita ut haec oriatur sententia: *„Ich habe noch einen Vater zu Hause, ich habe eine ungerechte Stiefmutter."* Cf. Ladewigum ad similem locum Georg. II. 473. Verum ut redeam ad rem propositam, ad idem genus pertinent non solum Tib. II. 6. 23. Hor. Carm. I. 11. 4, sed omnes ii loci, in quibus olim *que, ne, ve* transposita esse putaverunt, cujus generis multa exempla collegerunt Dissen. ad Tib. I. 1. 51, ex cujus adnot. sumpsi duos postremos locos, et Dillenburger. ad Hor. C. II. 7. 25. Explicandi hi sunt e chiasmi quodam genere, cujus interiora membra e vocabulo bis posito constant. Accidit autem interdum, ut id vocabulum, quod bis ponendum erat, semel omitteretur, remaneret autem eadem verborum collocatio, ac si adesset revera chiasmus. Sic Tib. l. l. dicendum erat „O quantum est auri pereat potius potiusque smaragdi", sed prius potius omissum. In locis a me allatis semper a priore membro vox repetenda abest; posse rem etiam inverti, ostendit Verg. ecl. VIII. 49, de quo infra dicendum erit, et de pedestri oratione Naegelsbach. Stil. p. 466 sq., videnturque etiam ii loci ex hac chiasmi ratione interpretandi esse, de quibus dixit W[illegible]r. ad ecl. IV. 6, id quod suadet certe verborum collocatio. [illegible]dem dicendi genere usos esse quum ex iis appareat, q[illegible], addere tamen licet Mosch.

amoebaeis ecl. III. 60—107. VII. 21—68 hi fere memorabiliores: I. 71—73. 80—82. II. 8—9. 63—65. III. 56. 57. V. 16—18. 32—34. 76—78. VI. 29—30. VIII. 29—30. 39—40. 69—71. 73—75. IX. 39—43. X. 29—30. Quinam ex his ad exemplum poetarum Graecorum compositi sint, suo loco demonstrabo; addo tamen unum, poetam interdum versuum architecturam magis quam sensum unius alteriusve loci imitatum esse. Cf. ecl. VI. 29. 30 cum Mosch. III. 89 sqq., ecl. V. 16 sq. cum Theocr. XII. 3 sqq., quorum locorum similitudinem perspexerat jam Ursinus. Non inutilem esse hanc concinnitatis observationem ad singulos Vergilii versus melius accuratiusque interpretandos, aliquoties docuerunt viri docti. Cf. inprimis Ladewig. ad III. 88—91, Ameis. Spic. p. 3 ad I. 54, cujus verbis nunc etiam Ladewigus in veram viam reductus est. Sed huic ipsi loco mihi in alia re succurrendum videtur. Etenim commotus v. 52 „hic inter flumina nota", v. 54 „Hinc tibi, quae semper, vicino ab limite, saepes" ita interpretor, ut ad verba „*quae semper*" cogitatione vel *suasit* vel simpliciter *id fecit* addendum putem et versu sequenti participium *depasta* sensu temporis praesentis accipiam, de quo usu cf. Wagner. Quaest. XXIX. 3. Loci igitur hanc esse senten-

---

I. 12. Versus initium articulo, opinor, commotus, non recte interpretatus est Ameisius: „pulcre cincinnatum est illi caput"; nam ἔχει etiam ad antegressum membrum pertinet. Neque aliter intelligendus est v. 5 scriptura vulgaris τὺ δ', ὦ ξένε. — Id. IX. v. 13 etsi ad sensum satis facit, quod nunc e D. reposuit Ahrensius ἀκούει, flagitare tamen puto antistrophae versus ultimos (20. 21), ut genitivus μύθων a verbo μελεδαίνω pendeat. Quare conjecerim, poetam ἀκούων scripsisse; nam ὁμοιοτέλευτον consulto illatum videri potest. — Id. X. v. 45 εἴποι, quod Ahrensius exaravit, verissimum est, sed mutanda interpunctio antegressi versus. Fac enim ferri posse optativum e praesenti tempore aptum, eae tamen strophae, quae leguntur vss. 46—49. 52—55, postulant, ut hi quoque versus in duo membra distrahantur, quod fit, si majore discrimine ea verba, quae post v. δράγματα sequuntur, ab superioribus separamus et verba μὴ παριών τις εἴποι optantis esse statuimus. — Bion. III. 14 Ameisius versuum concinnitati consulens conjecerat οὐ λῶ pro οὖλον, quod recte se habere crederem, si ἦμεν, non φέρειν sequeretur. Itaque aliam conjecturam proferre audeo. Videtur enim mihi versus sic scribendus esse: οὐδ' αὖ χεῖμα φέρω· νιφετὸ[illegible]οβεῦμαι.

tiam existimo: „Hinc, vicino ab limite, consueta saepes, quum flores salicti Hyblaeis apibus depascetur, saepe tibi levi susurro somnum inire suadebit.“ Ad crisin factitandam ex eadem concinnitate permultum auxilii peti posse, uno exemplo demonstrare liceat. Ecl. VII. v. 65 paucis verbis mutatis iterum legitur v. 68. Idem curavit poeta in stropha, quae huic opposita est v. 61—64, ita quidem, ut in illa primum et quartum versum, in hac secundum et quartum inter se congruere vellet. Haec congruentia conjunctaque ei stropharum concinnitas magnopere augebitur, si v. 64 auctore Servio, etiam Dresdensi, quem plurimis locis Wagnerus praestantissimum dicit, pro *corulos* posueris *Veneris*. Conferas modo inter se hos versus:

v. 62 Formosae myrtus Veneri, sua laurea Phoebo.
v. 64 Nec myrtus vincet Veneris, nec laurea Phoebi.
v. 65 Fraxinus in silvis pulcerrima, pinus in hortis.
v. 68 Fraxinus in silvis cedat tibi, pinus in hortis.

Librarii, quum viderent, *vincet* absolute dictum, interpretationis causa corulos suprascripserunt. Quod contra disputavit Wagnerus, ambitiosius Phyllidis et Veneris nomina inter se opponi, non ejusmodi est, quod vulgatam lectionem muniat. Nam praeterquam quod mire Phoebi nomen prolatum, non prolatum est Veneris, sive additur sive omittitur vox, ambitio, quae est in oppositione deae et puellae, una eademque manet.

Cognatum est genus aequabilitatis et concinnitatis, quum aut alter colloquentium alterius verba repetit aut idem antegresso versui sequentem accommodat. Prius legimus Theocr. id. VIII. 11 et 12.

χρήσδεις ὧν ἐσιδεῖν; χρήσδεις καταδεῖναι ἄεθλον;
χρήσδω τοῦτ' ἐσιδεῖν, χρήσδω καταδεῖναι ἄεθλον.

et vss. 18. 19. 21. 22. Ex his quum valde similes sint v. 18 et 21, tum iisdem verbis compositi sunt v. 19 et 22 λευκὸν καρὸν ἔχοισαν, ἶσον κάτω, ἶσον ἄνωθεν. Hos quatuor versus ante oculos habuit Vergilius ecl. III. 36. 37. 43. 44. 47. Nam sicuti v. 36. 37 et 44 similem continent sententiam, ita v. 47 integra verba versus 43 „necdum illis labra admovi, sed condita servo“ repeti[illegible] Quare non recte egit Ursensius, quod Theocriti s[illegible] t 21 cum

Vergilii vss. 36. 37. 44 contulit. Nam ut versus reliquos comparare omitteret, non potuit eum commovere, quod sententia versuum 43 et 47 ex id. I. 59 deprompta est. Apparet potius ex his maxime versibus, C. F. Hermannum de Daphn. Theocr. p. 11 satis incaute Theocriti vss. 21 et 22 sublatos voluisse. Legerat eos Vergilius et ante eum nihil intrusum est, nisi quae ab Artemidoro, ad quem omnia nos revocant, ita cum Theocriteis conjuncta sunt, ut ἀποσπάσματα poetae in unius carminis ambitum concinnaret*). Alterum concinnitatis genus, de quo dixi, invenitur e. g. id. XI. v. 22 et 23:

*) Magnam laetitiam percepi, quum ex Ahrensii editione viderem, virum doctissimum similem sententiam de id. VIII et IX tenere, atque ego jam diu foveram. Nam idyllii octavi mihi praeter carmen elegiacum, quod juvenis poeta ad exemplum dramatis Sosithei (cf. arg. et Hauler. p. 44 et 52), in versuum genere secutus Philetam et Hermesianactem (cf. Bach. Quaest el. spec. p. 15 sq.), composuisse videtur, et v. 63—70, 72—79 nihil genuinum videtur, quamquam de vss. 80—92 certius quidquam statuere nolim propterea, quod ipse Ahrensius nunc forma ἀκάχοιτο v. 90 non ita laesus videtur, ut Phil. l. l. p. 413. Ut initium pro suppositicio (maxima certe ex parte) habeam, mihi non sólum insolens hiatus ante vocem ἀμνός v. 14 et 15, quem grammaticorum doctrinam redolere puto, sed etiam illud suadere videtur, quod poeta sine ulla arte v. 5 et 8 Menalcae et Daphnidis orationi praefatus in versibus subjectis id facere omisit. Nam si quid video, potius v. 5 dicendum erat: Hi, quum alter alterum conspexisset, talia inter se confabulati sunt", deinde nulla amplius poetae verba interponenda. Eadem orationis conversio quamquam invenitur id. XXII. 53 sqq., tamen ex carmine epico de bucolico non judicaverim. Accedit, quod poeta ea carmina bucolica, quae non tota mimica sunt, semper amicorum alicui dedicavit. Cf. id VI. XI. In id. VII id facere non poterat, quod hoc carmen multis simul dicatum est. Quare per se non ineptum erat, quod Piersonus Veris. p 46 'putavit, v. 2 Διόφαντε pro ὡς φαντί scribendum esse. Videturque poeta in omnibus omnino carminibus hanc rationem tenuisse, si vera est de reliquis idylliis Ahrensii sententia. Excipienda enim esse id. XVI et XVII satis apparet, et de id. XVIII mihi recte Fritzschius p. 42 disputasse videtur carminis initium deesse existimans. Cf. tamen de eodem idyllio Hauler. p. 39. Ut autem redeam ad id. VIII, v. 72—79 praeter quatuor priores adeo nullo sententiarum vinculo inter se cohaerent, ut credere vix possim, hac ratione eos a poeta in publicum emissos esse. Videntur potius carminis ana[illegible] initium fuisse, cujus singul[illegible] Theocritus e binis

φοιτῇς δ' αὖϑ' οὑτῶς, ὅκκα γλυκὺς ὕπνος ἔχῃ με,
οἴχῃ δ' εὐϑὺς ἰοῖσ', ὅκκα γλυκὺς ὕπνος ἀνῇ με,

et id. XXII. 25 et 26:

Κάστορος ἢ πρώτου Πολυδεύκεος ἄρξομ' ἀείδειν;
ἀμφοτέρω ὑμνέων, Πολυδεύκεα πρῶτον ἀείσω.

Cum his cf. Verg. ecl. IV. 58 et 59:

Pan ctiam, Arcadia mecum si judice certet,
Pan ctiam Arcadia dicat se judice victum.

De hoc loco disputans Macrobius Saturn. V. 14 6 ed. J ab Homero, cujus contulit Il. χ. 127, Vergilium repetitior sumpsisse putavit. Falsum esse grammaticum, non sol versus Theocritei ostendunt, sed comprobat etiam, q apud Homerum prorsus alia ratione ultima pars pri versus eadem est ac prima posterioris, cujus epanaleps genus reperis praeterea υ. 371. ψ. 641. Rectius cum ve Homerico comparasset ecl. V. 51. 52 et IX. 64. 65, qu quam ne hic quidem poeta potius Homerum quam Tl critum vel quem putavit Theocritum secutus est.

Hactenus semper laudabili cum cura et diligentia poe Romanum in versibus ad concinnitatis legem pange vocumque iteratione ornandis cum Siculo contend existimo. Addi haec duo possunt. Nimirum ut fru lectionis carminum Theocriteorum etiam in ceteris po operibus conspicuus est (id a consilio meo alienum loco non persequor accuratius, sed laudare satis ha Georg. IV. 525 sqq.), ita imitatoris vitia auctoris exemp exaggerantis non pauca inveniuntur. Atque hoc repu debuerunt et ii, qui ecl. X v. 76, quum abesse a nonn codicibus viderent, sublatum volebant, et G. Herman qui ad Bion. p. 47 propter rationem strophicam ecl.

---

constare voluit. Sunt autem unius tantum pastoris neque ad fi perducti. Quominus poeta et hujus cantum perficeret et ve alterius, qui responderent, adderet, morte, opinor, impeditus Artemidorus, ut eos invenerat, cum vss. 63—70 conjunxit, qu ipsi, quamquam absolutum canticum exhibent, tamen eo consil poeta facti videntur, ut et alterum canticum et pastorum colloqu adderet. Haec si vera sunt, videmus, qua ratione poeta in elabora carminibus amoebaeis versatus sit. De carmine [illegible]us on tres strophae mihi a poeta profectae videntur,

vss. 47—50 in tres contraxit. Ex his v. 49 mihi ita explicandus videtur, ut ex chiasmi lege vocula „magis“ in fine prioris membri collocata repetenda sit in principio posterioris (Crudelis mater magis est an magis improbus ille puer?), ita ut cum Wagnero sententiam huc redire arbitrer: postquam pastor commemoravit, ab Amore Medeam adeo ad liberos trucidandos impulsam esse, subito hujus facinoris memoria ita commovetur, ut in verba erumpat „Crudelis tu quoque mater“. Dubitans deinde, an majore etiam nota digna sit Medea, quaerit, utrum in matrem magis crudelitatis an in puerum magis improbitatis opprobrium conveniat. Denique rem ita absolvit, ut graviorem improbitatis notam puero, leviorem crudelitatis matri attribuat. Ita si versus explicaverimus, neque erit, opinor, cur cum Hermanno dicamus, v. 48 non *quoque*, sed *quidem* dicendum fuisse, quae particula in commotam orationem minime apta est, neque probandum esse putabimus, quod idem adjecit „Ecquis dubitare potest an crudelior sit mater, quae liberos suos interficiat?“ quoniam non simpliciter de crudelitate agitur, sed hoc maxime efferendum, comparationem inter matris crudelitatem et pueri improbitatem instituí. In quo tamen jure haerere possis, est quaesita illa verborum repetitio, qua efficitur, ut frigidior sit oratio. Frigida vero etiam tum manebit, quum auctore Hermanno vss. 48 et 49 ita contraxerimus:

commaculare manus: puer, ah puer improbus ille:
improbus ille puer, crudelis tu quoque mater.

Nam matris crudelitas non „leviter tangenda“, sed omnino non commemoranda erat. Quare mihi persuasissimum est, virum egregium, nisi stropharum concinnitatem restituere voluisset, aut omnia aut nihil reprehensurum fuisse. Cf. praeterea, quae Vossius disseruit de vss. 22 sqq. quaeque alio tempore ipse dicam de ecl. X vss. 15 sqq. 37 sqq.

Alliterationes, quas hic illic apud Theocritum inveniri demonstraverunt Fritzsch. l. l. p. 23 et Notter. l. l. p. 5, quum non tam crebrae sint, ut legentibus ultro se offerant, non videtur Vergilius ab eo sumpsisse ecl. III. 109. 110 (amores-amaros), ubi cf. Wagner., et ecl. VII, 5 (pares-parati). Neque ecl. VIII. v. 80 (d[illegible]liquescit) hanc vim li

habet, ut id. I. v. 96 contra Ahrensium γελόωσα retinendum censeam. Nam hoc ὁμοιοτέλευτον non, quemadmodum putavit Fritzschius p. 23, ex Theocriti, sed e carminum magicorum imitatione expressum esse existimo.

Apostrophes usum Vergilius ecl. VI. 47 sqq., ut jam Ursinus animadvertit, lectioni id. VII. 83 sqq. debere videtur, quoniam ex hoc idyllio permulta petivit. Sed amplificavit quae apud Theocritum leguntur ita, ut nova orationis conversione v. 55 Pasiphaen ipsam exclamantem induceret.

A nullo denique animadversum est, poetam eam orationis elegantiam, quae est ecl. IX. 19 sq., Moschi id. III. 82 sq. debere. Nam utroque loco, quae a Bione et Vergilio alias descripta sunt, ita proferuntur, quasi fecerint ea poetae, non quasi cantu celebraverint. Quod Vergilius eandem figuram in eclogae sextae, quam post noriam conscripsit, v. 46 et 62 sq. liberiore quodam modo usurpavit, non prohibet, quominus eam primam originem a Graeco poeta traxisse putes. Non ignoro, Ahrensium hoc idyllium a Moscho abjudicasse. Quare etsi scire non possum, cui tempori illud tribuat, tamen fortasse et haec et reliquae imitationes, quas hic afferre non attinet, ad carminis aetatem definiendam non inutiles erunt.

Caput quartum.

De re metrica.

Vergilium numeris apte eligendis egregiam operam dedisse, res est notissima. Itaque mirum esse non potest, quod aut hac in re poetam Siculum cum prospero successu aemulatus est (cf. id. I. 8 cum ecl. V. 47. id. III. 2—5 cum ecl. IX. 23—25), aut, ubi non poterat verba ejus imitari, metro rem adjuvit (cf. id. V. 7 cum ecl. III. 27. id. V. 89 cum ecl. III. 65. id. VII. 48 cum ecl. IX. 36, ex quibus quos postremo loco laudavi versus pro[illegible] memorabiles sunt, quod, quum poeta Graecus ver[illegible]t spondeis

vani irritique laboris imaginem pulcherrimam ante oculos nostros ponat, Romanus praeter sonum, de quo jam dixi, dactylorum frequentia malam sedulitatem optime significat). Atque haec quidem brevius a me tractari poterant; uberius dicendum est de *caesura bucolica*, quam a Theocrito acceptam persaepe usurpavit poeta Romanus, quandoquidem quae de ea disputaverunt Valckenarius in ep. ad Roever. p. XV sq. et Wordsworthius in praefatione, non sufficere perspexi. E veteribus grammaticis, qui de caesura bucolica commemoraverunt, primo loco excitandus est Terentianus Maurus cujus vss. 2123—2134 ed. Lachmann. haec sunt verba:

„Pastorale volet cum quis componere carmen,
tetrametrum absolvat, cui portio demitur ima,
quae solido a verbo poterit connectere versum:
bucolicon siquidem talem voluere vocari.
plurimus hoc pollet Siculae telluris alumnus.
ne Graecum inmittam versum, mutabo Latinum,
Dulce tibi pinus submurmurat, en tibi, pastor,
proxima fonticulis: et tu quoque dulcia pangis,
jugiter hanc legem toto prope carmine servat,
noster rarus eo pastor Maro, sed tamen inquit
dic mihi, Damoeta, cujum pecus? an Meliboei?
non, verum Aegonis: nuper mihi tradidit Aegon."

Terentianum tetrametrum eum significare, cujus ultimus pes dactylus sit, testantur praeter conversos Theocriti et allatos Vergilii Pomponii Secundi versus, quos in proximis subjicit v. 2138 sqq. Dactylum in quarta versus regione partem orationis finire debere, si quidem revera metrum bucolicon nominandum sit, affirmant etiam Diomedes p. 463 ed. Gaisf. „Bucolici sunt, quotiens in quarta regione dactylus finiens partem orationis invenitur": Servius Honoratus *centim.* p. 369 „Bucolicum constat hexametro catalectico, ita ut quartus dactylus partem terminet orationis, ut est hoc

Rustica silvestres resonat bene fistula cantus."

denique Marius Plotius in operosa et inutili quaestione de singulis pedibus bucolici hexametri p. 254 sq. ed. Gaisf. et bucolici tetrametri p. 261 sqq. Nam dicit p. 254. §. 26 „Nam de quarto nulla quaestio est quod dactylus sit." p. 261. §. 53 „Nam quartus semper dactylus sit necesse est in bucolico hexametro." p. 262. § ergo bucolicum quide

tetrametrum octo schemata habet, quarto pede semper dactylus.“ Praestare versum, cujus quartus pes partem orationis finiens dactylus sit, commemorat Donatus vit. XXV. 104: „Nam cum tribus probetur metrum, caesura, scansione, modificatione, non erit bucolicus versus, nisi in quo et pes primus partem orationis absolverit et tertius trochaeus fuerit et caesura, et *quartus pes dactylus magis quam spondeus partem orationis terminaverit*, quintus et sextus pes ex integris dictionibus fuerit: quod *Virgilius, a Theocrito saepe servatum, victus operis difficultate neglexit.*“ Neque aliter Servius in praef. ad ecl. p. 95 ed. Lion. „Adhibetur autem (character humilis) ad carmen bucolicum, quod debet quarto pede terminare partem orationis. Qui pes si sit dactylus, meliorem efficit versum, ut: Nos patriae fines et dulcia. Primus etiam pes secundum Donatum dactylus debet esse et terminare partem orationis, ut: Tityre. Quam legem Theocritus vehementer observat, Virgilius non adeo. Ille enim in paucis versibus ab ista ratione deviavit, hic eam in paucis secutus est. Terentianus cum de hoc metro diceret: Plurimus hoc pollet Siculae telluris alumnus, Noster rarus eo pastor Maro.“ Quae deinceps sequuntur, ad aliam rem pertinent ideoque prorsus sejungenda sunt, neque dubium esse potest, quin post verba „pastor Maro“ apodosis interciderit. Dactyli mentionem omittit Probus p. 348 ed. Lion. „Carmen bucolicon legem habere videtur, uti versus ejus quartus pes partem orationis finiat, quod Theocritus custodivit. Nam Virgilius in primo versu attendit (significat verba *recubans sub tegmine fagi*), sequentem protinus alia ratione fecit (*meditaris avena*)“: et Atilius Fortunatianus p. 349 ed. Gaisf. „Bucolicus similiter ab heroo venit. Herous, si quarto pede partem orationis finiat, bucolicum facit, ut

Ab Jove principium, Musae, Jovis omnia plena.

Theocritus hanc legem custodivit, Virgilius comtempsit.“ Quamquam e versu allato conjeceris, hunc quoque pedem quartum dactylum esse voluisse. Id dicere non licet de Mario Victorino. Etsi enim p. 157 ed. Gaisf. haec scripsit „Ergo tetrameter sive versus sive hexametri [illegible]me tertia: nam post duas incisiones, ejus propria [illegible] mimeren

et hephthemimeren, tertia est ea, quam βουκολικήν appellant; quae quarto pede semper sensum claudente distinguitur ideoque a Graecis sic appellatur, quod bucolici carminis haec lex sit, ut versus ejus ea observatione formetur, ut ante duos ultimos quarto pede terminet aut partem orationis aut sensum, quam legem per omne opus sui carminis Theocritus Syracusanus, exceptis tribus aut quattuor ferme versibus (laudat id. I. v. 28 et 39, sed falsum esse grammaticum, jam Camerarius vidit, cujus verba attulit Gaisford.) custodit. At noster Maro haud ita, quod utrum *scrupulosum an supervacuum duxerit, ipse norit*, quod Graeci sanxerunt, ne pars orationis aut sermo integer ullo verbi discidio interveniente sejungeretur, tamquam

Forte sub arguta consederat

tetrametrus. Sequitur

ilice Daphnis.

Hoc comma dimetrum epicum nuncuparunt. Item

O crudelis Alexi, nihil mea

dehinc

carmina curas.

Unde intelligi datur, bucolicum carmen seu metrum ex tetrametri (conjectura addendum videtur *et dimetri*) copulatione subsistere". Etsi, inquam, ex his concludas, hunc et ipsum de quarto dactylo cogitasse, tamen aliud suadent quae attulit p. 87 sq. „Nonnunquam autem evenit, ut in eodem versu plures incisiones, i. e. penthemimeren et hephthemimeren et eam quae quarta caesura partem orationis terminat (quam bucolicon Graeci dicunt) reperiamus, ut:

Arma virumque cano, Trojae qui primus ab oris,

Nam *jae qui* pes in versu quartus eam divisionem explicat, quam bucolicon vocari dictum est, subque pedum percussione sensus impletur. Nam bucolici metri haec lex est, quam per omne opus sui carminis Theocritus Syracusanus observat, exceptis paucis versibus, de quibus in processu dicemus." Non poterat grammaticus Aeneidis versum excitare, nisi putasset, salvo metro bucolico quartum pedem etiam spondeum esse

Haec omnia non propterea exhibui, quo demonstrarem, quid de caesura bucolica in Theocriti carminibus judicandum esset, sed ut appareret, eos grammaticos, qui quartum pedem etiam spondeum esse posse putaverunt, Vergilii magis quam Theocriti opus spectavisse. Nam etsi Wordsworthio non concedo, qui id. VIII. 13 et X. 38 caesurae gratia mutare, id. VIII. 31 et 32 ejicere, id. XI e carminum bucolicorum numero excludere voluit, quoniam idylii VIII principium maximam partem ab Artemidoro profectum, in idyliis X et XI ad significandum rudius et incultius eorum qui producuntur ingenium et caesuram saepius neglectam et spondeum immissum censeo, tamen ex his paucis carminum vere bucolicorum locis, ubi spondeus in quarta sede reperitur, grammatici vix poterant concludere, promiscue et dactylum et spondeum poni. E contrario propterea, quod omnes quos attulerunt versus a solo fere Vergilio petiverunt, quodque hic ipse pro dactylo saepissime spondeo usus est, manifestum esse puto, illos de spondeo tantummodo poetam Romanum ante oculos habuisse. Ac profecto Maro in eclogis tam saepe intulit in pedem quartum spondeum orationis partem terminantem, ut omnes locos enumerare inutile et supervacaneum habeam. Causas, cur idem raro dactylo eadem ratione in quarta versus sede usus esset, veteres grammatici has attulerunt: poetam aut sprevisse eum dixerunt aut operis difficultate victum putaverunt. Meam sententiam si quaesiveris, mihi, si universum Maronis opus spectamus, prima causa in eo posita videtur, quod, quum Theocritus viva popularium carmina ante oculos habuisset, quae quotidie audire poterat quaeque semper ei nova incitamenta suggerebant, ipsi talis adhortatio defuit. Sin vero singulos versus spectamus, quos e Graeco transtulit, ita statuendum puto, eum magna ex parte rei insolentia a caesura imitanda prohibitum esse, id quod apparebit clarissime ex imitationum conspectu, quem extremo hoc opere exhibebo, nihilominus tamen, ubi usurpavit caesuram, id praecipue Theocriti ejusque aemulorum versibus permotum fecisse. Id intelligetur, ubi omnes eos locos excitavero, in quibus ita factum [illegible] adjecti Graeci versus ostendent, quamquam mi[illegible]n est, de

nonnullis accuratiore disputatione opus esse, quam nunc in aliud tempus rejicere libelli hujus angustiis coactus sum. Sunt autem omissis illis, in quibus aut post caesuram bucolicam vocabulum repetiit aut ante eam vocis ἀναδίπλωσιν adhibuit, fere hi: *Ecl. I.* 8 (coll. Theocr. ep. I. 5). *Ecl. II.* 6 (Theocr. id. III. 6). 18 (XXIII. 28. 29). 26 (VI. 35). 28. 31 (XI. 63—66, quamquam ibi quoque v. 63 et 66 non usurpata est caesura). 37. 38 (IV. 30. I. 126—128. I. 3, quamquam deest caesura a v. 126, quam v. 128 restituit Ahrens.). 40. 42. 43 44 (III. 34—36. XI. 40. 41. deest tamen a v. 41). 45. 46 (XI. 56—59, etsi caret ea v. 57, qui tamen dactylus est). 56 (XX. 3 sq.). 58 (III. 24). 63. 65 (X. 30. 31, e quibus posterior tantum habet illam caesuram). 68 (II. 40. v. 38 et 39 vacant caesura aeque atque apud Verg. 66 et 67). *Ecl. III.* 1. 2. 3. 4 (IV. 1—3). 11 (v. 112. 113. cf. nomen Miconis). 23. 24 (XV. 91). 25 (V. 5. 6. deest caesura a v. 7 non sine idonea causa, et id ipsum factum a Vergilio v. 26 et 27, aptissima de causa v. 27). 30 (I. 25sq.). 34 (VIII. 16). 36. 37, quibus fortasse etiam v. 38 adnumerare licet, quia praepositio *super* recitando facile a verbo dirimitur (I. 27. V. 104. 105). 44 (VIII. 21. 22). 50 (V. 62 sqq.). 52 (V. 78). 60. 61 (V. 80. 81). 62 (V. 82. 83). 65 (V. 88. 89). 66 (V. 90. 91). 68 (V. 96. deest a v. 97, ut apud Verg. a v. 69). 83 (V. 134. 135). 86 (VIII. 35. 39. significo repetitum „pascite“ v. 85 et 86, e quo lectioni ποιμαίνετε v. 39 aliquid auctoritatis accedit). 89 (V. 125). 96 (IV. 44). 100 (IV. 20. 23. 24). 103 (VI. 39). *Ecl. IV.* 52 (VII. 149. 151. significo anaphoram). 54 (VII. 86—89. X. 32. 33 propter structuram). *Ecl. V.* 2 (VIII. 3. 4). 6 (I. 21)*). 8 (IV. 9. non usus est Theocritus caesura v. 8, neque Vergilius v. 9). 18 (V. 92—95, e quibus tamen caret caesura v. 93). 25. 26 (IV. 14. Mosch. III. 23. 24. v. 24 caret cae-

*) Tamquam praeteriens commemoro, Vergilium in hac quidem ecloga loci laudationem v. 3 et 5. 6 sumpsisse ex id. I. 12. 13 et 21 sq. Id ex totius eclogae ratione, quae magis interdum quam singula verba spectanda sunt, tam manifestum fit, ut vel hac de causa Theocriti v. 13 servandus sit. Quod Ahrensius Phil. l. l. p. 407 contra Hermannum dixit, etiam id. V. 44 non legi uberiorem loci descriptionem, id nihil valere puto propterea, quod Laco jam laudaverat loc[illegible] v. 31 sqq.

sura, non tamen dactylo). 36 (Mosch. III. 31—34). 49 (I. 3). 50 (VII. 50. 51. posterior caesura, non dactylo vacat). 61 (I. 50. dico scripturam τεύχουσα, quae hinc et Alciphr. III. 21, quem locum laudavit Toupius Addend., defendenda est). 67. 68 (V. 54. 59. v. 53 et 58 e concinnitatis lege omissa est caesura). 73 (VII. 71. 72). 85 (VII. 43). 87 (cf. ecl. III. 1). *Ecl. VI.* 30 (Mosch. III. 89—91. v. 89 caesura caret). *Ecl. VII.* 1. 4 (VI. 1—4, e quibus caret caesura v. 3. VIII. 3. 4). 7 (VIII. 49). 8. 9 (V. 66. 67). 18 (VIII. 31. hunc versum jam Vergilium legisse, certum est). 21. 22 (VIII. 33. 35. 37. 39). 29. 35. 36 (X. 32—35, e quibus v. 35 caesura caret, nec tamen dactylo. ep. IV. 15. 17 propter duplex votum*)). 37 (XI. 19—21. 19 et 20 certe dactylos habent). 46. 47 (VIII. 37. 39). 54. 57. 59 (VIII. 45. 47). 65. 66 (XVIII. 29. 30). *Ecl. VIII.* 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13 (I. 121. 122. VII. 63 sqq. XVII. 1. omnes hi versus Vergilio in caesura septies, quod notatu maxime dignum est, usurpata ante oculos versati sunt, quamquam fatendum est, eam de industria hic admissam esse, ut alacritas orationi adderetur). 41 (II. 82. III. 42). 52. 58 (I. 132—134. carent ea v. 130 et 131, ut apud Verg. 53—56). 62. 63 (X. 24. 25). 67 (II ab initio). 89 (II. 43—51, e quibus carent caesura 46 et 51; nam etsi expressit Varium de morte secundum Macrob. Saturn. VI. 2. 20, tamen sententiarum conformatio sumpta a Theocrito). 91. 92 (II. 53. 59. 60). 95 (II. 161—162, e quibus vacat incisione v. 162). 102 (XXIV. 92—95. v. 93 certe dactylo exstructus est). *Ecl. IX.* 1 (VII. 21—25. v. 21. 22 carent caesura, non dactylo). 18 (Mosch. III. 11. 12. 65. 66). 23. 24. 25 (Theocr. III. 3—5). 33. 34. 36 (VII. 37—41). 41. 43 (VII. 7—9. cf. v. 8 ὕφαινον, quod conjecit Heinsius, cum v. 42 „texunt". XI. 43). 57 (VII. 57. 58). 59. 60 (VII. 10. 11). 64 (VII. 36)**). *Ecl. X.* 18 (XX. 33). 22. 23 (I. 82. 83). 33. 34 (XII. 10—21. ibi in plurimis certe versi-

*) Versus Theocriti vel quisquis auctor est epigrammatis 15 et 16 olim ita scribendos esse putaveram ἦν δ' ἄρα νεύσῃ τοῦδε τυχεῖν, ἐθέλω τρισσὰ θύη τελέσαι. ἄρα νεύσῃ nunc enotavit Ahrensius e codd. B. D.

**) E futuro ὀνασεῖ scripturae *laedet* apparet, Vergilium magna quaedam probabilitas nascitur.

bus quartus pes aut vocem terminat aut dactylus est). 42 (V. 31—34). 67 (VII. 111—114. v. 113 incisione caret, non tamen dactylo). Efficiunt hi versus, si addideris III. 38, numerum CXX, si exceperis, CXIX. His addendi sunt, de quibus supra dixi, utpote omnes ex Graecorum imitatione tornati, I. 75. II. 15. III. 79. V. 46. 64. VI. 25. 44. 80. VII. 44. VIII (omitto nunc v. 7). 33. IX. 17. X. 11. 21. 77 et versus intercalares eclogae octavae, numero XIX. quorum versuum est summa XXXIII. Apparet autem, poetam in iis eclogis, in quibus Theocritea inprimis imitatus est, ob eos versus, quos sumpsit a Theocrito, etiam reliquos, si fieri poterat, caesura bucolica ornavisse. In hunc numerum refero qui restant versus bucolici generis eclogarum II. III. V. VII. VIII. IX. X, maximeque id cadit in strophas et antistrophas ecl. III. 60—107. VII. 21—68. Sunt autem hi: *Ecl. II.* 53. *Ecl. III.* 75. 77. 90. 93. 94. 99. 104. 107. *Ecl. V.* 31. 40. 41. 42 (si versus huc referri potest propter praepositionem *super*). 58. *Ecl. VII.* 14. 17. 26. 28. 52. 61. 62. *Ecl. VIII.* 17. 20. 29. 30. 49. 75. 106. 108. *Ecl. IX.* 2. 6. 15. 16. 21. 27. 49. 50. 51. 53. 55. 63. 67. *Ecl. X.* 2. 25. 31. 46. 49 (hi duo tamen Galli sunt)*). 50. 73. Efficiunt hi versus numerum XLIX vel, si detraxeris ecl. V. 42. X. 46. 49, XLVI. Ex his qui notentur inprimis digni sunt ecl. VII v. 20 et 52. Nam priore loco adumbravit poeta Theocr. id. IX v. 14, qui caesura bucolica caret, posteriore IX v. 13 et 21, qui et ipsi ea vacant. Sed utroque loco id e versibus juxta positis explicandum est. Jam vero, si numeros computes, hucusque versuum bucolicorum summa est CCII vel CXCVIII. Restant ecl. I. 3. 4. 7. 11. 14 (v. 18 utpote suppo-

*) Apud Servium ad v. 46 haec verba leguntur: „hi autem omnes versus Galli sunt, de ipsius translati carminibus.“ Non potest dubium esse, quin vss. 44—49 significaverit. Nam comparatio cum Theocrito v. 50 sq. a solo Vergilio profecta sit necesse est (cf. ecl. VI. 64 sqq.). Quod si tenemus, mirum minime videtur, quod v. 44 ab allegoria ad veram vitam transit, de qua re multis disputavit Wagnerus in nota critica. Id unum adjicere licet, particulam *nunc*, de qua cf. Wagnerum, fortasse alio modo a Gallo usurpatam fuisse. Mutavisse talia Maronem, ostendit ecl. VIII. 88 collato Varii loco Macrob. VI. 2. 20. Nam apud Varium vox „perdita“ ad ea, quae sequuntur, referenda est, apud Vergilium ad ea, quae ante

siticium omitto). 24. 25. 27. 36. 38. 45. 47. 48. 58. 60. 71, quamquam alio tempore demonstrare studebo, poetam in adornandis nonnullis eclogae partibus magis quam putatum est idyllium VII ante oculos habuisse. *Ecl. IV.* 20. 34. 35. 39. 41. 49, etsi v. 49 tales Theocriti versus, quales sunt I. 38. VII. 48, meminisse poterat; v. 34 eum similes auctoris versus memoria tenuisse, ex iis, quae de vocabulis post caesuram legitimam repetitis disputavi, certissimum est. *Ecl.* VI. 3. 7. 9. 21. 23. 35. 49. 55. 58. 65. 71. 75. Sunt hi numero XXXIV. Itaque exceptis Galli versibus habemus bucolicos Vergilii CCXXXIV, e quorum numero non aegre fero si etiam ecl. III. 38. V. 42 ejiciendos putes, et habet quidem ecloga prima de versibus LXXXIII bucolicos XVIII, secunda de versibus LXXIII bucolicos XX, tertia de CXI bucolicos XXXVII vel XXXVI, quarta de LXIII bucolicos VIII, quinta de XC bucolicos XXI vel XX, sexta de LXXXVI bucolicos XVI, septima de LXX bucolicos XXVII, octava de CLXIX bucolicos XLIV, nona de LXVII bucolicos XXVIII, decima de LXXVII bucolicos XVII vel XV. Quod in ecloga quarta tam pauci versus metri bucolici reperiuntur, documento est, me recte disputasse, poetam tum maxime, quum Theocriti vel reliquorum versus spectaret, hoc metro usum esse. In ecloga sexta paulo plures ea ratione conformavit, in quibus non aemulatus est poetam Syracusanum, quia poetarum epicorum more tertia hac caesura orationi vim et alacritatem tribuere voluit. Cf. v. 55 et 48 coll. ecl. VIII, 7—13 et Hermann. Elem. doctr. metr. p. 339. Epit. p. 120 ed. II.

Ne tamen fructu suo careat haec disputatio, ea etiam rei criticae succurratur. Quemadmodum enim ecl. VII. v. 14, ubi Wagnerus e fragmento Moreti *neque* scripsit, ecl. IX. 6, ubi idem post Vossium ex optimis codicibus pro *nec bene vertat* reposuit *nec vertat bene*, aliquid certe caesurae bucolicae tribuendum erat, ita ecl. IX. v. 35, qui interjectus est tribus versibus bucolicis, quibuscum et ipse a Theocrito depromptus est, eadem caesura donandus videtur. Restituendum videlicet *neque* pro *nec* existimo, quod ex uno codice Moretano apud Wagnerum enotatum est. Nam etsi diligenter disputata sunt, o[illegible] vir doctissi-

mus Quaest. XXXII, tamen haec peculiaris causa minime negligenda est. Accedit, quod poeta etiam in ceteris hujus eclogae versibus una cum verbis caesuram quoque ab auctore suo petivit. Praeterea vehementer gauderem, si ecl. VII. 64 propter responsionem, de qua antea dixi, e codicibus *neque* restitui posset. At donec accuratior facta erit librorum collatio, nihil hic quidem mutare ausim. Alius planeque diversus est ille fructus, quem ex hac nostra quaestione in judicandos singulos Graecorum versus redundare existimo. Videor enim mihi animadvertisse, poetam Romanum, quo usurpare posset caesuram, interdum a verbis Graecis paululum declinavisse. Id vero quantae utilitatis sit ad cohibendam pravarum conjecturarum audaciam, e duobus exemplis clarissime elucere puto. Unum offert ecl. V v. 85: „Hac te nos fragili donabimus ante cicuta" aperte adumbratus ex id. VII v. 43 τάν τοι, ἔφα, κορύναν δωρύττομαι. Poterat poeta salva verborum sententia et praesenti uti et futuro tempore; hoc praetulit, ut caesuram bucolicam admitteret. Quare etiam hac a parte satis munita est forma δωρύττομαι, quae nunc pro δωρήσομαι propter Gregorii Corinthii et codicum k. Q. auctoritatem in editionibus legitur. Aliud exemplum praebet ecl. X v. 18: „Et formosus ovis ad flumina pavit Adonis". Hic versus etsi e pluribus locis compositus est — nam ut Adonidem poeta *oves pascentem* induceret, motus est id. I v. 108, quod de poeta, qui quidquid potuit a Theocrito assumpsit, dubitare non debuit Hauptius Mus. Rhen. Nov. IV. p. 262, ut *pulchrum* vocaret, non voce ὡραῖος, quae ibidem legitur, sed alio sensu, de quo cf. Ameis. Adn. p. 6, verum, si omnino in eo epitheto aliquem Graecum locum spectavit, Bionis idyllio primo — sententia tamen deprompta est ex id. XX v. 33. Nihilominus quo adsciscceret caesuram bucolicam, non convertit quae ibi leguntur verba ἐν ἄγκεσι, sed posuit *ad flumina*. Explodenda est igitur et Jacobsii opinio, qui Animadv. in Theocr. p. VI sq. propter Vergilii versum id. I. 108 ἐπ' ὄχθαις vel ἐπάκτια pro ἐπεὶ καί corrigere voluit, et Eichstadii, qui Quaest. phil. spec. p. 7 eadem de causa ἐπ' ἀκτᾷ conjecit. Neque inutilis est ad rem criticam una cum aliis rebus caesurae bucolicae usus ecl. V vss. 45 sqq.

Tale tuum carmen nobis, divine poeta,
Quale sopor fessis in gramine, quale per aestum
Dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo.

Expressit poeta duos Theocriti locos, id. I v. 7 et 8. id. VIII v. 77. Illud manifestum est e v. 45 coll. v. 7 ἅδιον, ὦ ποιμάν, τὸ τεὸν μέλος, hoc e repetitione vocabuli post caesuram v. 46, quam sumpsit e versu proximo 76, et e transitu a substantivo ad verbum facto (*quale sopor* et *quale restinguere*, ut ἁδὺ τὸ πνεῦμα et ἁδὺ αἰθριοκοιτεῖν), quamquam poeta, ut congruerent versus cum verbis quae respondent vss. 82—84, aliis adjectivis usus est. Praeterea id. I v. 8 et VIII v. 77 magna quadam arte ita in rem suam convertit, ut quo concinerent hae duae imagines, et demeret et adderet quaedam. Nam dactylorum frequentia et ejusdem literae repetitione et adjectione participii *saliente* satis habuit v. 47 id indicare, quod descripsit Syracusanus loco priore accuratius. Novam sitis restinctae imaginem intulit ratione alterius loci habita, e quo assumpsit etiam verba *per aestum* (τῶ θέρεος). Jam huic imagini non potuit priorem accommodare, nisi in ea speciem potius efferens pro αἰθριοκοιτεῖν, quod magis universi est significatus, vocem *sopor* adhibuisset et oppositionis causa non solum *fessis* adjecisset sed etiam verba παρ' ὕδωρ ῥέον — nam occupasset ea quae alterius imaginis erant — neglexisset. Addidit autem *in gramine*, ut imitaretur versus Theocritei caesuram bucolicam. Itaque haudquaquam poeta v. 46 id. IX v. 3[illegible] spectasse putandus est, neque stare possunt, quae Vergiliano versu innisi statuerunt de Theoriteo Wordsworthius ad l. l. et Hermannus de art. poes. buc. p. 6. Versum enim illo loco excidisse, ex Maronis imitatione, quae nulla est conjicere, incautum atque inconsideratum est.

Alia quaestio est eaque gravissima, quid existimandum sit de *stropharum ratione*, quam animadvertimus apud Graecum poetam et apud Vergilium. De qua quamquam pleraque nondum satis explorata sunt, tamen ita ea comparata est ut in investiganda poetae Romani imitatione silentio praetereunda non videatur. Atque ut ab iis, quae certiora sunt disputandi initium capiam, cantilenas amoebaeas et breviores et interdum etiam longiores compositas esse par

strophārum longitudine, res explorata et concessa est. Breviores dico versus alternos id. V et VIII. 33—60 ac Vergilii ecl. III et VII, de quibus in sequenti capite uberius dicam. E longioribus cantilenis huc pertinent strophae id. X. 24—37. 42—55, quae artificiose ita exaratae sunt, ut, quamquam bini versus sententiam absolvant, tamen omnes interno quodam vinculo cohaereant. Id enim de vss. 42—55, in quibus res primo adspectu minus elucere videtur, bene demonstravit Ameisius Adn. p. 65. Pari longitudine etiam ea odaria sunt, quae leguntur id. VIII v. 63—70 et 72—79. id. IX. 7—13. 15—21. Verum id. VIII vss. 72—79 quum sine justo sententiarum ordine pronuntiati sint, mihi, ut supra commemoravi, potius pro fragmento carminis amoebaei, quam pro integro cantico habendi videntur. Duabus autem strophis idyllii noni longitudine parem fuisse existimo tertiam (v. 31—36) eamque ab ipso Theocrito compositam. Versus 30, qui ad cantum referri non potest, sed ab Artemidoro ad carmina conglutinanda, ut vss. 1—6. 22—29, adjectus est, mihi sic scribendus videtur: μηδέ μ' ἐπὶ γλώσσας ἄκρας ὀλοφυγδόνα φῦσαι, „Musae, salvete et in carmine recitando mihi subvenite neve velitis me pustulam, mendacii signum, in lingua producere". Precatur pastor a Musis, ut carmen sic, ut olim cecinerit, sibi nunc in memoriam revocent. Ad structuram verborum cf. Aeschyl. Sept. c. Theb. 235 ed. Herm. θεοὶ πολῖται, μή με δουλείας τυχεῖν. Thuc. VI. 34. 8 πείθεσθε οὖν, μάλιστα μὲν ταῦτα τολμήσαντες, εἰ δὲ μή, ὅτι τάχιστα τἆλλα εἰς τὸν πόλεμον ἑτοιμάζειν, καὶ παραστῆναι παντὶ τὸ μὲν καταφρονεῖν τοὺς ἐπιόντας ἐν τῶν ἔργων τῇ ἀλκῇ δείκνυσθαι κτλ. Matth. §. 546. not. p. 1269 ed. III. Krueger. §. 55. 1. not. 4. In ipso cantu nonnulla egregie ab Ahrensio restituta puto, sed restant duo vitia. Primum enim verba οὔτε γὰρ ὕπνος | οὔτ' ἔαρ ἐξαπίνας γλυκερώτερον οὔτε μελίσσαις | ἄνθεα inter se non congruunt. Itaque aut dativus vocabulis ὕπνος et ἔαρ addendus aut μελίσσαις removendum. Quum autem Wordsworthius et Hermannus, qui priorem rationem inierunt, et audaciora protulerint neque recte a Vergilio sententiae suae praesidium petiverint, equidem μελισσᾶν pro μελίσσαις scribendum opinor. μελισσᾶν ἄνθεα sunt flores, quos ap[illegible]

in deliciis habent*). De sententia cf. id. XXII. 42: ἄνθεα τ' εὐώδη, λασίαις φίλα ἔργα μελίσσαις et Verg. ecl. VII. 37: „Nerine Galatea, thymo mihi dulcior Hyblae." Praeterea e v. 36 duos faciendos puto. Id suadet non solum Eustathius 10. 6 et 1656. 57: οὓς οὐ προσορῶσιν αἱ Μοῦσαι, τούτους ποτῷ δηλήσατο Κίρκη, verum etiam scholiasta ad v. 35: οἷς μέν ἐστε φίλαι, ὦ Μοῦσαι, χαίρουσιν· ἐκεῖνοι δέ, οὕστινας οὐ προσβλέπετε**) δηλονότι, διὰ τοῦ ποτοῦ ἔβλαψεν ἡ Κίρκη et ad v. 36: οὓς δὲ οὐδαμῶς ὁρῶσι, δηλονότι καὶ ἐπισκέπτονται, αἱ Μοῦσαι, τούτους ἐδηλήσατο καὶ ἔβλαψεν ἡ Κίρκη ποτῷ, τουτέστι διὰ τοῦ κυκεῶνος τοῦ φαρμακώδους. Hos quominus versum perditum invenisse credamus, prohibet, ut videtur, adjecta vocula δηλονότι, legerunt tamen non τώςδ' vel τὼς δ' οὕτι, sed τὼς δ' αὖτε. Itaque versus sic scribendos esse verisimile est:

οὓς μὲν ὁρᾶτε,
γαθεῦσιν. . . . . .
. . . τὼς δ' αὖτε ποτῷ δαλάσατο Κίρκα.

„Quos adspicitis, o Musae, laetantur, a quibus autem oculos vestros avertitis, hi illi sunt, quos potu laeserit Circe i. e. hi voluptatum illecebris capi se patiuntur". Sententia relativa incepisse videtur a particula δέ, ita ut structura eadem fuerit atque Hesiod. op. et di. 298 sq. ὃς δέ κε μήτ' αὐτὸς νοέῃ, μήτ' ἄλλου ἀκούων ἐν θυμῷ βάλληται, ὃ δ' αὖτ' ἀχρήϊος ἀνήρ. — Jam vero ut accedam ad Vergilium, in tria haec idyllia spectavit in ecl. V et IX. Illic enim Mopsi et Menalcae carmina pari longitudine composuit hic in pangendis odariis, quae leguntur vss. 23—25. 27—29 39—43. 46—50 elegantissime sic elaboravit, ut numero versuum primum alteri, tertium quarto, argumento autem primum tertio, quarto secundum responderet; nam primum et tertium a Theocrito transtulit, secundi et quarti sententiam ad describendas vel suas vel populi Romani res ipse invenit.

---

*) Fortasse μελισσᾶν ἄνθεα significare etiam possunt *succum* i. e. *me ab apibus e floribus collectum*. Vide de hac vocabuli ἄνθεα significatione Ameisium Adn. p. 47 et de eadem substantivi *flores* Verg Georg. IV. 39 Spic. p. 37 sq.

**) προσβλέπετε et ἔβλαψεν scripsi e sententia.

Exemplum Theocriti Vergilius etiam in *ephymnio* eclogae octavae adhibendo secutus est. De hoc versuum genere quandoquidem sagaciter, ut solet, disseruit Ahrensius ad Bion. Epit. Adon. p. 29 sqq., mihi pauca tantummodo addenda sunt. Vocatum est ephymnium *versus intercalaris* a Servio ad ecl.VIII. 21 „Dicitur autem hic versus intercalaris, qui frequenter post aliquantulos interponitur versus, sicut intercalares dies et menses vocantur, qui interponuntur, ut ratio lunae solisque conveniat. Fecit autem hunc versum ad imitationem Theocriti, qui frequenter dicit in Pharmaceutria: ἴϋγξ, ἕλκε τὺ τᾶνον ἐμὸν κατὶ δῶμα τὸν ἄνδρα, o turbo, maritum meum adducito, sicut in his sequentibus: Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.“ Itaque videtur versus intercalaris appellatio proprie Romana fuisse, quae postea etiam ad Graeca carmina translata est. Aliter tamen Maji interpres ad eundem versum: „Antiquorum more hanc clausulam veluti *epodon* repetit Theocritum secutus: Ἄρχετε βουκολικᾶς μοῦσαι φίλαι ἄρχετ' ἀοιδᾶς.“ Conspirat in hac appellatione Vergilii scholiasta cum Theocriti ad id. I. 64 et 84, cujus verba e Duebneri emendatione protulit Ahrensius. — Jam quum Vergilius in eo consentiat cum Theocrito quam maxime, quod versu intercalari singulas strophas clausit — nam in Theocriti idylliis I et II ephymnia ultimo cuique stropharum versui adjecta, non primo praemissa esse, idem vir doctissimus docuit —, eo magis mirandum est, quod ceteroquin adeo ab eo recessit, ut non solum in utraque cantilena ultimae demum strophae aliud ephymnium adhiberet, sed prohymnium etiam omitteret. Quodsi dicimus, hoc poetam Moschi exemplo fecisse, qui id. III prohymnium omisit, id propterea non accipiendum est, quod in illo carmine unum modo ephymnium legitur quodque Vergilius in ecloga octava totum cantilenarum colorem e primis istis Theocriti idylliis deprompsit. Quare hoc loco e poetae Romani imitatione conjicere licet, aliquid turbatum esse in alterutro carmine. Illud non posse nisi primum esse, et per se apparet et intelligitur ex Vergilii ephymniis. Sunt videlicet in priore cantu hi duo:

Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Desine Maenalios, jam desine, tibia, versus.

in posteriore:

Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Parcite, ab urbe venit, jam, carmina, parcite, Daphnis,

Fugit Servium*), poetam in priore cantu expressisse primi idyllii ephymnia:

ἄρχετε βουσολικᾶς, Μοῖσαι φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδᾶς.
λήγετε βουκολικᾶς, Μοῖσαι, ἔτε, λήγετ' ἀοιδᾶς.

In posteriore autem quamquam spectavit prius secundi idyllii ephymnium:

ἴυγξ, ἕλκε τὺ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα,

simul tamen primum carmen ante oculos habuit; nam alter versus intercalaris Vergilii non ad alterius in secundo, sed rursus ad alterius in primo idyllio exemplum compositus est. Inde nullo negotio conjici potest, poetam Romanum semel tantum alterum Theocriti ephymnium legisse. Ac mea quidem sententia tam inepte quater hic versus ponitur quam commode totum carmen claudit. Accedit alia causa non levissima. Quod enim statuit vir doctissimus Hauptius Mus. Rhen. Nov. IV. p. 261 sq., praeter duo ephymnia idyllii primi etiam tertium aliquod inveniri, id re accuratius pensitata non novum est ephymnium, sed primum una voce φίλαι mutatum, cujus loco in optimis codicibus πάλιν legitur. Quodsi vero reputaveris, in codd. k. a. p. alterum hoc vocabulum statim v. 73 exhiberi, suspicari licet, id hic primo ponendum esse et a principio carminis prohymnium removendum. Quo facto prius ephymnium adjectum est primae strophae et reliquis deinceps omnibus excepta ultima, ita tamen, ut, quemadmodum sententia flagitat, ab altera stropha usque ad paenultimam voce πάλιν pro φίλαι posita paululum immutetur; totum carmen claudit ephymnium posterius. Haec si vere a me disputata sunt, quod haudquaquam pro certo affirmare

*) Similiter erravit grammaticus ad ecl. X. 7. „*Simae.* Graecum est nomen, i. e. pressis naribus, unde et simias dicimus: quod epitheton Theocritus (7. 80) dat praecipue apibus." Nam verba *simae capellae* expressa sunt ex id. VIII. 50: ὦ σιμαὶ δεῦ-' [redacted] ἔριφοι.

velim, cadit ea sententia, quam de tribus idyllii partibus ephymniis inter se disjunctis primus protulit Hauptius, probaverunt Hermannus et Ahrensius. Expressit autem accuratissime Vergilius auctorem suum in hac ephymniorum ratione, nisi quod prius ephymnium usque ad paenultimam stropham immutatum retinuit*). — Carmina Theocriti, quorum singulis partibus ephymnia addita sunt, in tales strophas fuisse divisa, quae versuum numero inter se responderent, concedi ab omnibus puto. Easdem autem a simplicitate poesis popularis non remotas esse debere, quisquis poetam Siculum eam ante oculos habuisse persuasum habet, semper tenendum contendet. Itaque mea quidem opinione ii reprehendi non possunt, qui hac sententia imbuti, a codicibus si parum auxilii offerebatur, etiam ad conjecturas confugerunt. Verum id cadit tantum in primum et alterum idyllium, in quorum posteriore — de priore aliter sentio — recte fecit Ahrensius, quod ejecit v. 61, adjutus etiam codicis optimi k. et scholiastae auctoritate. De reliquis carminibus ita judico, ut, si strophae simplicitate quadam commendabiles ultro se offerunt, eas amplexandas et retinendas, sin minus, cavendum esse existimem, ne poetam ipsum corrigamus. Et hac de causa probo ea, quae de tertio carmine disputavit Ameisius Adn. p. 26 sq., quae de eodem et de reliquis statuerunt Hauptius, Hermannus, Ahrensius, quippe magnam partem valde dubia et incerta, nunc in medio relinquo. Id vero certissimum mihi videtur, nisi prorsus idonea explicatio accesserit, neutiquam probanda esse, quae hac de causa neglectis apertissimis quibusdam Vergilii et Ovidii imitationibus nuperrime Ahrensius novavit. Nam ad haec excusanda non

*) Non invenisse Vergilium in codice suo πάλιν pro φῶτα usurpatum, facile illud quidem suspicari possis, putavitque etiam Ruhnken. Ep. crit. p. 65, jam Vergilii tempore in Theocriti libris vitia fuisse, sed caret haec opinio, si exceperis quae ab Artemidoro profecta sunt, omni veritatis specie nec, quantum adhuc Theocriti reliquorumque versus cum Vergilianis comparavi, ullum vestigium inveni, unde confirmari possit. Nihilominus semper ejus in perscrutandis imitationibus memor ero. Maji quidem interpres l. l. videri potest πάλιν non legisse.

satis esse apparet quae leguntur praef. p. LXXIX. At quum de ejusmodi locis alio tempore sententiam meam proponere statuerim, hic iis omissis quaedam de Vergilio adjiciam. In ecloga octava strophas agnoscendas esse, versus intercalaris manifesto declarat. De industria autem a poeta factum esse, ut prius carmen aliquatenus cum posteriore congrueret, statim concedet, qui vss. 21 sqq. contulerit cum vss. 68 sqq. Hac ratione Hermannus ad Bion p. 46 sq. suam opinionem firmare debuit, qua putavit, hanc congruentiam etiam ad numeros versuum singularum stropharum transferendam esse. Sed vehementer erravit vir doctissimus. Silentio praetereo, etiam in ecloga quinta initium posterioris carminis (vss. 56 sqq.) cum prioris (vss. 20 sqq.) ad sententiam congruere, quamquam ne levissima quidem vestigia exstant, quibus probetur, singulos utriusque cantilenae versus ita in strophas dividi posse, ut strophae prioris cantici cum strophis posterioris versuum numero conspirent, neque hoc pro certo affirmo, in ecloga octava poetam, si concinnitatem stropharum curasset, in eo elaboraturum fuisse, ut utrumque carmen ex ejusmodi strophis constaret, quae pari versuum numero continerentur*), nec vero, ut prioris cuique strophae altera posterioris responderet: verum quae mutavit vir doctissimus, non solum nimiam audaciam prae se ferunt, sed etiam omnia e falsis opinionibus nata sunt. Ex quibus unum jam tetigi, reliqua aliis locis persequar. Hermannum Ladewigus etiam in altera editione ita secutus est, ut in media via subsisteret. Nam apud hunc, quum ejus editio reliquas Hermanni conjecturas contineat, tamen prioris carminis stropha antepaenultima trium, paenultima quinque versuum est, posterioris vero cantus antepaenultima quinque, paenultima tres versus complectitur. Hanc

*) Dixit Hermannus p. 46: „Sed de hac (ecloga octava) dicendum est explicatius, ne cui nihil curasse monstratas a Graecis leges videatur Virgilius.“ Quid Graeci ad eam quam voluit vir eximius efficiendam concinnitatem poetae demonstraverint, non video. Neque enim ullum Theocriti aut reliquorum idyllium exstat, quo duo contrarii argumenti carmina in hunc modum comprehendantur, ut prioris strophae cum alterius numeris versuum concin[redacted]

inconcinnitatem, siquidem semel nobis persuasimus, stropharum concinnitatem restituendam esse, cur ille praef. p. XVI diverso carminum exitu effectam esse dixerit, neque ego perspicio neque quisquam perspiciet. — Nihilominus etiam apud Vergilium si quae concinnitas ultro se offert, eam lubenter amplector, inveniturque praeter parem versuum numerum universarum cantilenarum, de quibus antea dixi, aequabilis quaedam partium descriptio in *ecl.* V. vss. 45—55, qui numeros efficiunt: V. III.*) III. et vss. 81—90, quorum numeri sunt: IV. III. III. Nec repugnaverim, si quis initium quoque eclogae existimaverit aliquam concinnitatis speciem prae se ferre, quippe hosce versuum numeros complectens: III. IV. I. I. III. III. III. I. Apertior etiam res in ecloga *quarta* videtur esse. Etenim ut a principio et fine incipiam, constat ea e prologo et epilogo, quorum prior (vss. 1 — 3) trium, posterior (vs. 60 — 63) quatuor versuum est. A v. 4 usque ad v. 17 quatuor versuum complexiones sententiam absolventes his numeris se excipiunt: IV. III. IV. III. Sequuntur usque ad v. 95 tres carminis partes, quae sententia inter se divisae hos numeros praebent: VIII. XI. IX. Denique restant usque ad epilogum duae partes septenorum versuum. Itaque totius carminis rationem strophicam ita significare licet:

III. | IV. III. IV. III. | VIII. XI. IX. | VII. VII. | IV.

Non aegre ferrem, si ii versus, quibus diversi aetatis gradus Asinii Galli describuntur, majorem aequabilitatem praeberent, et haereri fortasse potest v. 37 in verbis „erunt etiam altera bella," quae, quum *alter Tiphys* et *altera Argo* rectissime dicantur, minus apta videntur. Quare mihi suspicio mota est, hunc versum a librario adjectum esse, ut explicaret versus 34 verba extrema „et altera quae vehat Argo." Potuisse autem verbum vehendi sine accusativo poni, non est quod pluribus ostendam, et commendatur haec opinio etiam propterea, quod ita elegantissime uno versu sententia absolvitur. Ingenue tamen profiteor, me non tam cupere, vera a me pronuntiata putari, prae-

*) Etsi vss. 45 — 52 omnes Menalcae sunt, tamen apte in duas partes sententia inter se sejunctas dividi possunt.

sertim quum qui versu deleto prodeunt numeri: VIII. si reliquos versus spectamus, prorsus satisfacere videantur, quam optare, ut scrupulus iste de versu 3 injectus ex animo meo evellatur. E reliquis eclogis, apta proportione in partes aequales dividi posset, r inveni.

Ad res metricas pertinet etiam *hiatus:* Hujus ca rem usum quamquam probe scio Vergilium non a Theocrito, sed a Gracis omnino repetisse, tamen e W Quaestione XI, siquidem is omnes hiatus enumeravit, intelligitur, poetam eum in eclogis saepius usurpasse in reliquis operibus. Revera ex imitatione Theocri modi hiatus explicari possunt, quos illius versus i monem latinum convertens coactus erat immitter ecl. VIII. 41 cum id. II. 82. III. 42. ecl. VIII. 44 cu VII. 77. Alii hiatus ex eo more excusationem haben secutus exemplum Theocriti versum in duas partes Cf. ecl. III. 6. VII. 53. X. 13 et similem locum ecl. Eadem de causa excusandus hiatus in caesura κατὰ τροχαῖον ecl. II. 53, quocum versu maxime congr XXIV. 71 coll. id VI. 12 (ex Ahrensii correctione). XIII. 24. XXII. 116. Ex imitatione Theocriti natu etiam hiatus in caesura bucolica ecl. III. 79. VI. 44, quam non id sibi indulsit poeta, ut, quemadmodu fecit id. I. 67. II. 154. [XIX. 5. 8. XXIII. 48], etiam b vocalem in hiatu poneret. Denique hiatus, qui est minata interjectione *heu* ecl. II. 58. III. 100, etsi nei offendet, tamen propterea huc referri potest, quod ibi criteum φεῦ φεῦ expressit. Qui restant hiatus ecl. I VI. 44 (prior) VII. 53 (posterior). VIII. 108. X. 12, esse videntur, quorum explicatio praecipue e Th imitatione derivanda sit.

---

*) Cf. tamen cum hoc loco id. I. 113. XV. 123, cum ecl. (castaneae hirsutae) et X. 12 id. I. 98. II. 46. X. 28. XIV. 49

Caput quintum.

De similitudine ac dissimilitudine cantus amoebaei Theocritei et Vergiliani.

Cantum amoebaeum hic illum angustioribus finibus circumscriptum intelligo, in quo duo pastores versibus alternis ita inter se certant, ut alter pastorum praeeat canendo, alter respondeat statim sententiis ac verbis similibus, cujus generis sunt apud Theocritum id. V. 80—135. VIII. 33—60, apud Vergilium ecl. III. 60—107. VII. 21—68. Si quaerimus de nomine, videntur et haec cantica et longiora pastorum odaria in Sicilia βουκολιασμοῦ appellatione significata esse. Hanc tamen rem, etsi silentio praeteriri non poterat, quandoquidem Zetzschium in dissertatione supra laudata p. 5. not. Artemidori versibus id. VIII. 31. 61. in fraudem inductum videbam, accuratius propterea non persequor, quod spero fore ut Ahrensius eam satis patefaciat atque illustret. Interim cf. praeter ea, quae ex hujus editione concludi possunt, de variis vocabuli significationibus Welckerum Op. I. p. 410 sq. Apud Romanos huic cantus generi *alternorum* vel *versuum alternorum* nomen inditum fuisse, supra commemoravi. Ut autem propius jam accedam ad quaestionem propositam, apud Zetzschium l. l. p. 7 sq. haec leguntur: „Etsi autem ex his (Theocr. id. V. 80—137. VIII. 32—40) tamquam primo fonte amoebaeorum carminum leges derivandas esse video, non tamen dubitavi, etiam Virgilium in partes vocare, cujus carmina ad singulos Theocriti locos vel explicandos et illustrandos vel sanandos (?) et defendendos felici cum successu a viris doctis adhibita sunt. Et miro quodam casu accidit, ut etiam in Virgilii bucolicis exstent duo amoebaea carmina, quae non tantum in singulis locis fere ad verbum imitentur Theocritea, sed etiam in universum ad eorum similitudinem ita accedant, ut alterum, Ecl. III. 60—107, mimici sit generis, alterum, Ecl. VII. 21—68, lyrico recte adnumeretur, nec dubium est, quin Virgilius illo Theocriti Id. V, hoc exprimere voluerit Id. VIII. Om[illegible]

quum ita sint, quumque omnium judicio constet, plurim
profecisse in hoc genere Virgilium, non sine idoneis ca
in ea quaestione, quae de legibus amoebaei carminis
stituitur, etiam Virgilii carminibus usus esse mihi vid
ea ratione, ut, quas apud Theocritum observassem le
aut explerem e Virgilii comparatione aut iis ex illius
spiratione munimentum et fulcra pararem." Quae d
vir doctissimus de Vergilii carminibus quum pleraque
ganter et recte disputata sint, extremis tamen arti
terminos constituendos esse, mihi quidem persuasum
Primum enim etiam Romani carmina amoebaea habeb
quae etsi non constat quibusnam legibus circumscr
fuerint, solutiores eas fuisse certe conjicere licet; et h
ut in aliis fecit, quae apud populares exstabant, poeta m
interdum quam Theocritea spectare poterat. *Deinde* in ecl
non omnia e quinto, in ecl. VII. non omnia ex oct
idyllio hausit, ex qua observatione quaedam facilem ex
cationem habent. *Tum* quae artificiose ab auctore insti
erant, eum ut imitatorem nonnunquam neglexisse ver
mile est. *Denique* in eo certe idque data opera Th
criti auctoritatem neglexit, quod suam ipsius personam
haec carmina inferre non dubitavit. Haec omnia, q
partim jam tractavi partim in proximis persecuturus s
in comparatione instituenda considerari debent quam
gentissime. Quamobrem, si recte agere cupimus, pr
prorsus omittenda est Vergilii imitatio, tum vero ex
randum, in quibusnam rebus ille aut consentiat
auctore aut ab eo recedat. Ac si verum fateri volun
apud Theocritum unde carminis amoebaei leges deri
queant sunt tantummodo id. V vss. 82—135; nam vss.
et 137 recte nunc Ahrensius Morsoni tribuit. In his
sibus apparet non solum eundem canendi ordinem, qu
admodum ab initio institutus erat, usque ad finem se
tum, sed etiam ab utroque pastore pari versuum num
certatum esse. Atque hanc primam legem Zetzscl
optime exposuit. Idem bene observavit, certantium ver
semper sententiarum, saepe etiam verborum similitud
inter se cohaerere, oppositionis vinculum semel inve
vss. 132—135. Tertiam l[illegible] quam adjecit vir docti

mus, ex qua utrique canentium eam servandam fuisse dicit ingenii indolem morumque constantiam, quam poeta ab initio utrique tribuit, propterea omitto, quod non modo non propria est servata haec morum aequalitas cantus amoebaei, sed ad omnia pertinet idyllia, in quibus diversorum ingeniorum homines producuntur, verum etiam in idyllio quinto, quod moverit Morsonem, ut Comatae victoriam decerneret, non tam e versibus alternis, in quibus uterque pari impudentia, arrogantia, rixandi cupiditate conspicuus est, quam e versibus proxime antegressis eruendum esse videtur. Nihilominus ex hac maxime ingenii constantia ad versus idyllii octavi recte apteque constituendos subsidia petenda sunt. Hanc legem igitur praetermittendam aliamque potius in ejus locum substituendam esse existimo. Revera enim Theocritus, quae erat prima ejus artis scientia, per totum cantum idyllii quinti id egit, ut pastores eam retinerent vitae condicionem, qualem in introitu carminis depinxit. Quae contra disputavit Zetzschius, ea explicatione facile dilui possunt. Nihil omnino illud argumentum valet, quod vir doctissimus ad probandam sententiam contrariam p. 13 sq. e munerum varietate duxit. Nam diversa dona etiam in idyllio III. (cf. v. 10 sq. 21 sqq. 34 sqq.) puellae a pastore offeruntur. Graviorem dubitationis materiam diversorum amorum nomina praebere videntur. Etenim nominatur a Comata v. 88 Clearista, v. 132 Alcippe, a Lacone v. 90 et 99 Cratidas, v. 134 Eumedes acceditque etiam aliud, quod miror a Zetzschio, qui hinc suae sententiae aliquid firmamenti quaerere debuit, prorsus neglectum esse. Nimirum quum praeter locos laudatos Comatas semper puellam (cf. v. 85. 96. 105), puerum Laco (cf. v. 87. 107) commemoret, sane offensionem parare potest, quod v. 127 ab hoc pastore puellae mentio injicitur. At est ibi articulus collective intelligendus, ut non certam aliquam puellam significet, sed omnes puellas aquae hauriendae causa ad fontem venientes comprehendat. Jam ad quaestionem absolvendam haec considerari velim. Primum quidem in eo jure aliquis haerere possit, quod in extremis tantum str[illegible] (v. 132 — 135) Comatas alius puellae, Laco alius

mentionem facit. Etenim si pastoribus in cantu amoebaeo extra fines vitae principio carminis ipsis assignatae evagari licuit, qui explicandum sit, quod in fine tantum alios amores induxerint, haud facile indicari poterit. Tum vero Comatas v. 132 commemorat ille quidem aliam puellam, sed tantum abest ut illam se in deliciis habere profiteatur, ut eam a se non amari aperte pronuntiet. Spernit igitur nunc Alcippen, antea amavit. Ad confirmandam hanc opinionem carmen tertium in auxilium vocari potest, si quis in eo omnia simpliciter pronuntiata esse putat. Nam ibi quoque praeter Amaryllidem a caprario v. 35 alia puella commemoratur, quam se illi antepositurum esse minatur. Quae quum ita sint, certe Comatam dicendum erit suis moribus constare, non alienam personam induere. Neque aliam vitae condicionem simulat alter pastor Laco. Hic quem antea πατρωνυμικῶς Cratidam vocaverat, v. 134 jam vero nomine Eumedem appellat, et haec causa est, quamobrem suam stropham alterius opponat puerumque magnopere a se amari dicat. Artificiose vero poeta id curavit, ut Laco, quoniam de uno eodemque homine loquebatur, aliud semper donum commemoraret (cf. v. 98 sq. 106 sp. 134 sq.), quum Comatas idem munus, palumbem, se Clearistae daturum esse (v. 96 sq.) et Alcippae dedisse (v. 132 sq.) recte dicere potuerit. In explicando nomine Κρατίδας auctorem habeo Papium s. v., et scholiasta codicis K ad v. 90 et 99 eatenus certe verum vidit, quod utroque loco Eumedem significari putavit. Nec enim necesse esse, id quod idem voluit ad v. 99, Cratidam pro Cratidae filio accipi, quem patronymicorum usum tetigit Meinekius ad id. VII. 40, manifesto apparere credo. Ceterum quemadmodum Theocritus hic eundem hominem et πατρωνυμικῶς et proprio nomine appellavit, ita id X. 15 eadem puella ἁ Πολυβώτα vocatur, quae postea (v. 26 et 36) Βομβύκα dicitur, ita ut facile credere possis, hanc nominum varietatem ex ipsa vitae consuetudine a poeta expressam esse. Ultimo loco quaerendum est, unde poetam suspicari liceat exitum certaminis, quod est in id. V, arbitrique judicium suspensum esse voluisse. Ac [illegible]orus quidem l. l. p. 55 merito Comatae victoriam esse putavit propterea, quod,

quum hujus cantus inventionis laude delectet, Laco nihil aliud fecit quam ea variavit quae ille prior finxerat. At falsam esse viri docti opinionem, vel ex hoc perspicuum est, quod ita poetae semper id agendum fuisset, ut ei, quem victoriam reportare volebat, prior in canendo locus obtingeret. Cui rei repugnant leges de canendi ordine observatae, de quibus exposuit Vossius ad Verg. ecl. III. 52*). Meliora docuerunt Wernsdorfius (Cantores p. 17 sqq.) eumque secutus Zetzschius p. 11. Nimirum poeta operam dare debuit, ut vel per ipsum certamen vel, si hoc minus fieri poterat, per verba antegressa, quae jam praesens arbiter audivit, uni pastorum eam indolis morumque labem adspergeret, qua commoveretur judex, ut alteri magis faveret eique victoriam decerneret. In quinto idyllio causa, cur Comatas certaminis pretium abstulerit, non repeti potest, nisi e vss. 66—79. Aperuerat Laco post Morsonis adventum nimiam rixandi cupiditatem maxime vss. 74 et 75, eamque ob causam alter pastor v. 77 eum notaverat his verbis: τύ γε μὰν φιλοκέρτομός ἐσσι. Verum autem id opprobrium arbitro visum est; nam v. 137 ad Laconem conversus haec verba profert: τὺ δ' ὦ τάλαν, ἐσσὶ φιλεχθής. Jam quo magis contemnendum Morsoni pastoris ingenium videretur, non sine artificio quodam poeta Comatam majorem, Laconem minorem natu finxit, quandoquidem hominis natu minoris erga eum, qui longius aetate provectus erat, modestia et verecundia inprimis exspectanda erat. Ac si proferre licet opinionem quandam nugarum fortasse non absimilem, mihi ne nomen quidem Λάκων sine causa pastori tributum esse videtur. Hoc quominus Valckenarii auctoritatem (Ep. ad Roev. XXXI.) sequentes e patria hominis repetendum esse censeamus, rationes metricas prohibere, verissime dixit Meinekius ad v. 1. Quare mihi in mentem venit, illud cum verbo ληκέω cohaerere, apprimeque in hunc locum convenire puto

*) Has tamen leges, quae nituntur loco valde suspecto Theocr. id. VI. 5, paululum immutandas esse, alio tempore demonstrare studebo.

canis nomen λάκων a Columella traditum loco p.
dato R. R. VII. 12. 6. Neque enim ibi de canis-m
terra indito cogitari posse, ostendunt, opinor, quae
sunt et Graeca et Latina nomina, quamquam non
canes Laconicos etiam apud Romanos magno honor
adeoque apud Ovidium Met. III. 219 unum ex A
canibus correpta syllaba paenultima Laconem
Quod si vera est haec quam protuli suspicio, Th
clamosam et vere caninam pastoris indolem satis s
ipso nomine significavit.

Idyllii octavi carmen elegiacum omnis gene
cultatibus laborare gravissime, testantur innum
paene virorum doctissimorum conatus, quibus
pristinum nitorem restituere studuerunt. Hos omne
diligentissime perlustrassem, nullum reperire pot
mihi ab omni parte satisfaceret. Namque ut inci
altera earum legum, quas supra posui, eam tanto
iis strophis, quae leguntur in huius carminis vss.
laesam esse persuasum habeo, ut non dubitandu
existimem, quin tres strophae exciderint*). Utrius
hae fuerint, idcirco dictu est difficilius, quia omnin
potest, puellamne an puerum Daphnis celebraveri
Milonem ab eo laudatum esse, post Eichstadium (
phil. spec. p. 42 sqq.) evincere conatus est C. F. Her
l. l. p. 11 sq. Cujus totam disputationem, qua, quae
sissima sunt, conjungere aggressus est, per omnes
refellere quum longum sit et ab instituto meo s
equidem potius, quam ipse conceperim sententiam,
hoc loco significare constitui. Verum esse puto
plerique viri docti statuerunt, id. VIII. a Daphnide p

Menalcae, v. 57—60 Daphnidi tribuendi sint et exciderit antistropha, quae versibus 49—52, stropha, quae versibus 57—60 responderet. Eam stropham, quae excidit ante versus 57—60, legisse et risisse videtur Callimachus ep. LV:

τὸν τὸ καλὸν μελανεῦντα Θεόκριτον, εἰ μὲν ἔμ' ἔχθει,
τετράκι μισοίης, εἰ δὲ φιλεῖ, φιλέοις.
ναίχι πρὸς εὐχαίτεω Γανυμήδεος, οὐράνιε Ζεῦ,
καὶ σύ ποτ' ἠράσθης. οὐκ ἔτι μακρὰ λέγω.

Non enim credo, v. 3 Callimachum, quae est sententia viri mihi magnopere colendi, Fritzschii, l. l. p. 6, id. XII. 35, sed stropham nunc perditam ante oculos habuisse, in qua Menalcas pueri amorem exemplo Jovis Ganymedem deperientis excusavit*). De stropha, quae media interjecta est, non possum judicare, nisi aliud quiddam persecutus fuero, quod in hoc carmine maximi momenti esse puto. Poetam enim, quandoquidem Daphnidem pretium certaminis auferre voluit, in eo elaborasse consentaneum est, ut hujus ingenium morumque indoles prae Menalcae arbitro placere posset. Negligenda autem esset haec res potiusque sic existimandum, poetam illam morum diversitatem in iis versibus, quos certamini praemittere voluit, significare statuisse, nisi id in ipso cantu factum esse, luculenta signa exstarent. Nam in iis strophis, quae leguntur vss. 33 — 48, videmus Menalcae verba sublimitate quidem illa et magniloquentia insignia esse, sed ob suavitatem et modestiam magis commendari Daphnidis orationem. Haec morum discrepantia quum tollatur et pessumdetur, si, quod fecit Ahrensius, secutus auctoritatem Viri Docti in Ephem. Goth. 1803. n. 22, sedem versuum 41—43 et 45—47 permutaverimus, nihil hic mutandum esse censeo praeter unum, quod suasit Meinekius. Hunc enim recte statuisse opinor, versum 43 in antistropham, versum 47 in stropham transferendum esse.

*) Si verum est, id III. 35 sq. veram personam eamque poetae amicam significari, verba Callimachi τὸν τὸ καλὸν μελανεῦντα Θεόκριτον ad hunc locum spectare videntur. Potuit enim propterea poeta ab aequali *pulchre nigricans* vocari, quod puellam nigri coloris in deliciis haberet. Nec tamen huic opinioni multum tribuerim.

Oppugnaverunt quidem ejus sententiam Bachius Q eleg. spec. p. 20, Zieglerus in editione, Ameisius A 57 et Praef. ed. p. XII, sed Bachii explicationem Ameisius falsam esse intellexit, quae autem Ameisi Zieglerus dixerunt, quamquam a carminis amoebaei bus non abhorrere videntur, tamen propterea non faciunt, quod prorsus incredibile est, pastores, primum amorum mentionem fecerunt, statim alteru alterius amore locutos esse. Contra quod Ahrensium movisse existimo, ut tres versus transponeret, id nih lere mihi recte disputasse videtur Zetzschius p. 20 mirum si recte conjicio, vir doctissimus non alia ductus est, quam quod, ut vss. 35 et 49 sqq. ostendere tur, Menalcas per carmen elegiacum ovium et caprarum fingitur. At vero, quum, quae in prioribus utri strophae versibus leguntur, universe dicta sint, apte Daphnis oves et capras commemorare potuit, nec tr sitione versuum propterea quidquam proficimus, vss. 41 sq. verba παντᾷ δὲ γάλακτος — τρέφεται non de pecore quam de bubus intelligi et possunt et d Jam, ut convertam me ad versus 53—56, videtu μᾶλα v. 56 vehementer flagitare, ut Menalcae stro adscribamus, et fateor, hanc unam rem eam in m habere, ut id revera faciendum putarem, nisi aliud deret, quod hoc ipsum vocabulum corruptum esse superque ostenderet. Gravem enim offensionem quod pronomen τυ sine vocativo positum est. Nam tivus non solum propter alterius strophae oppositi in qua eandem apostrophen usurpatam fuisse certu beo, adjungi debuit, verum etiam propterea, quod vi erat ambiguitas, ex omissione nominis quae oritura Fac enim, versum 56, ut nunc in editionibus legitu ipso poeta profectum esse: nihil profecto obstat, quo accusativum τυ v. 55 aut, ut scholiasta voluit, ad al e certantibus aut ad arbitrum referamus. Utrumque perversum sit, medela quaedam circumspicienda e que talis, qua succurratur etiam verbis extremis v. 56; in his et ipsis jure homine[redacted] haesisse videntur. aut ad sensum aut ad rat[redacted]mmaticas deesse

si v. 56 ita exaraveris: τὶν ἅμα, παῖ, ἐσορῶν τὰν Σικελὰν ἐς ἅλα*). Cum structura verbi ἐσορᾶν cf. id. VI. 35 ἐς πόντον ἐσβλεπον (ἐσέδρακον e Junt. Ahrens.). Haec conjectura si ferri posse videtur, Daphnidi stropha assignanda est, in quem etiam idcirco convenit, quia quae ex his versibus elucet pastoris indoles non diversa ab illa est, quam in versibus antegressis conspici supra dixi. Ultima stropha quum, nisi ad lubidinem cantus amoebaei leges violari posse putaveris, Menalcae tribui nequeat, nihil restat, nisi ut existimemus, in stropha perdita sublimiores et magnificentiores comparationes prolatas fuisse, iis videlicet oppositas, quae leguntur v. 57 et 58. Nam ne ex duorum extremorum versuum sententia, Menalcae hanc stropham habendam esse, conjiciendum credas, quod accidit Zetzschio p. 24 sq., inconsiderato Wernsdorfii judicio (l. l. p. 21)**) in fraudem inducto, vel hoc vetat, quod e concinnitatis lege eadem excusatio, Jovis exemplum amori praetexens, etiam alteri pastori usurpanda fuit. Ceterum, quum una certe Daphnidis stropha exciderit, non necesse esse existimo, quod e Meinekii sententia fecit Ahrensius, Naidis nomen in v. 43 inferri. Nam poterat verum ejus nomen in hac ipsa stropha prolatum esse. — His de Theocrito disputatis, jam ad Vergilii carmina accedam. In cujus cantibus amoebaeis accurate observata est ea lex, quam supra primo loco posui. Secunda ex iis legibus, quas observaverat Theocritus, poeta Romanus ita usus est, ut saepius quam ille oppositionis vinculo certantium cantilenas conjungeret. Cf. ecl. III. 72 — 75. 80 — 83. 88 — 91. VII. 37 — 60. Verum eandem tamen non semel laesit, ut putavit Zetzschius p. 10, sed bis ecl. III. 60—63. VII. 45—52. Sed causam, quamobrem id aliter fieri vix potuerit, neque a

*) Fortasse tamen e codd. k. Q. Σικελικὰν ἐς ἅλα omisso articulo reponendum est.

**) Omnino Wernsdorfius in dissertatione sua saepe modum egressus est. Ita p. 23 sq. non recte aliquam morum diversitatem etiam in carmine amoebaeo idyllii quinti invenire sibi visus est, planeque ridicula sunt, quae p. 21 de Menalca dixit: „Agnoscas inflatum homuncionem, qui deos cre[illegible]idue.“

Zetzschio neque a quoquam indicatam video. Nimirum est illa in eo posita, quod ecl. III. v. 60 sq. magis initium Phaenomenorum Arati quam Theocriti id. V. v. 80. 81 expressit, quare fieri non poterat, quin vss. 62 et 63, qui adumbrati sunt ex id. V. v. 82. 83, minus cum strophis congruerent, et quod ecl. VII. v. 45 sqq. ex id. VIII. v. 37 sqq., v. 49 sqq. ex id. IX. v. 15 sqq. et id. XI. v. 51 translati sunt, quod et ipsum in causa fuit, cur minor h. l. concinnitas quam quae aliis locis reperitur effici posset. Deprehendimus igitur in his versibus imitatoris vitium cum eo cognatum, de quo in fine primi capitis (p. 15) commemoravi Quod vero hoc vitio Zetzschius p. 10 et p. 23 sq. ita usus est, ut inde demonstrare studeret, etiam id. VIII. vss. 49 — 56 strophae et antistrophae necessitudine conjungi posse, meo quidem judicio a vera via aberravit. Tertiam denique legem, quam ex Theocriti idyllio quinto prodire supra evincere conatus sum, a Vergilio non observatam esse, et interpretes ostenderunt et exposuit diligenter Zetzschius p. 14. Hujus disputationi ea tantum addere decrevi, in quibus dissentiendum mihi videtur a viri doctissimi judicio. Primum enim in eo erravit, quod in ecl. III. propter versus 32 - 34. 94—95. 98—99. Menalcam capras et oves pascere contendit. Nam unicus locus, unde de ea re aliquid colligere liceat, sunt vss. 32—34, in quibus eum caprarium fingi videmus. Versus 94. 95. 98. 99 non solum idcirco ex quaestione eximendi sunt, quia ad cantum amoebaeum pertinent, in quo pastores aliorum personas induisse ipse statuit, sed etiam propterea nihil probant, quod, qui juxta collocati sunt versus 92. 93. 96. 97, et ipsi ficti argumenti sunt adeoque v. 98 sq. Menalcas non simplicem pastorem agit, sed *pecoris magistrum*, cujus imperio servi humilioris ordinis subditi erant. Deinde animadvertere licet, poetam in eadem ecloga legem a Theocrito observatam magis quam in septima spectasse. Nam si recte in secundo capite (p. 21) disputavi, Phyllidem puellam esse a poeta ipso amatam, in amoribus certe omnia in hoc carmine inter se conspirare videntur. Exceptis enim vss. 76—79 et v. 107 Menalcas semper Amyntam commemorat (cf. v. 66. 74. 83), Damoetas Galat[illegible] (cf. v. 64 et 72). Quod autem prae-

terea Menalcas v. 67 Deliam, Damoetas v. 81 Amaryllidem profert, id facilem explicationem habet. Delia, quippe pristina amica, ab illo leviter tantummodo tangitur et Amaryllis hunc non amat, sed ira persequitur. Velim autem haec cum iis conferas, quae dixi de Theocriti idyllio quinto. Nam quod Menalcas de uno semper homine loquitur, in eo spectavit poeta exemplum Laconis Theocritei, quod autem Damoetas praeter amorem Galateae iram Amaryllidis commemorat, in eo Maro Comatae exemplum secutus est. Hinc verisimile esse puto, etiam Vergilium Theocriti Eumedem eundem cum Cratida habuisse.

Contra Vergilius prorsus a Theocriti instituto in fingenda hac illave pastorum sorte ac condicione descivit in ecloga septima, quo ex genere maxime memorabile est, quod v. 29 sqq. Corydon adeo aliud nomen assumpsit, et v. 41 Thyrsis pronomine *tibi* eandem puellam compellat, quam in stropha antegressa πρωταγωνιστής allocutus erat. Mirari autem possis, posteriore loco Zetzschium (p. 23 n.***) eo adductum esse, ut id. VIII. v. 55 pronomen τυ ad Milonem referendum esse putaret. Immo ut redeat jam oratio mea, unde profecta erat, ex hac libertate, qua poeta modo hanc modo illam pastorum condicionem finxit, neutiquam de Theocriti cantu amoebaeo conjecturam facere licet. Nam si discedas a concinnitatis lege a Vergilio bis neglecta aut certe non satis religiose observata, de qua quid judicem, jam exposui, poterat poeta Romanus aut popularium interdum magis quam Theocriti carmina spectare aut, si vel maxime ad illius idyllia se composuit, tamen, quum vel sua ipsius persona illata omnem fidem ac veritatem huic cantui detractam esse intelligeret, lubens volensque eam artem, qua Siculi poetae carmina amoebaea composita sunt, negligere. Ceterum num jam Vergilii tempore carmini elegiaco tres strophae defuerint, adhuc in medio relinquo, quamquam id perquam verisimile esse, propterea existimo, quod, ut jam aliquoties dixi, persuasum habeo, postquam Artemidorus*) dispersa poetae carmina bucolica

*) Artemidorum primum poetae carmina bucolica in unum corpus conjunxisse, etiam Ahrensius statuere videtur. Hoc propterea sum[illegible]

in unum corpus collegit, usque ad Vergilii aetatem nihil in iis turbatum esse. Certe non recte egerit, si quis ex ecl. III. 80—84 coll. cum id. VIII. v. 57—60 conjecerit, Vergilium eam stropham, quae excidit ante versus Theocriteos, in codice suo invenisse. Nam alio loco demonstrabo, poetam Romanum saepe iis, quae ab auctore deprompserat, de suo quaedam vel addidisse vel opposuisse.

Postremo commemorandum est Vergilium in ecloga VII nimia fortasse cum diligentia curasse, ut Thyrsidis strophae fastus, arrogantiae, rusticitatis plenae essent, contra Corydonis cantus modestia, simplicitate, suavitate commendaretur. Ac debuit poeta hanc morum diversitatem propterea in cantum ipsum inferre, quod, unde certamen exortum esset, in versibus antegressis accuratius describere noluit. Eandem ingenii discrepantiam — nam non moror Wernsdorfium, qui, quum rectissime p. 25 sq. de ecloga octava explicaverit, contra poetae consilium p. 24 sq. Damoetae prae Menalca favendum existimavit — Vergilius in ecloga III idcirco significare non necesse habuit, quia pastores ab arbitro pares pronuntiari voluit.

Caput sextum.

Demonstratur quomodo intellexerit Vergilius Theocr. id. I. vss. 64—104.

Daphnidis fabulam, qualis describitur a Theocrito id. I. vss. 64—104, intellectu esse difficillimam, constat inter omnes. Quae quidem difficultas, quum coepissem in Vergilianas Theocriti imitationes accuratius inquirere, vehementer me movit, ut, num quid ad verum ejus intellectum e poetae Romani eclogis conferri posset, investigare atque explorare studerem. Atque hac de re quum jam certam

quod id epigramma, quod ex vulgari ordine est vicesimum alterum, inter dubia et spuria rejecit. De eodem nuper disseruit etiam Hauler. p. 57 sq. coll. p. 31 sqq.

quandam opinionem conceperim, eam ita hic in medium proferam, ut me ingenue profitear cupere, si a vera via aberraverim, ab hominibus doctis meliora edoceri. Ita autem in hac quaestione versabor, ut primum quidem omissa omni Vergilii imitatione de solis Theocriti versibus disseram, deinde vero uberius exponam, ubi et quomodo poeta Romanus eos idyllii versus, qui hic in disceptationem vocandi sunt, vel adumbraverit vel spectaverit.

Ac capiendum quidem puto disputandi initium a versibus 138 sq.

χὠ Δάφνις ἔβα ῥόον. ἔκλυσε δίνα
τὸν Μοίσαις φίλον ἄνδρα, τὸν οὐ Νύμφαισιν ἀπεχθῆ.

Hunc locum non posse de descensu ad Acherontem intelligi, verissime contendit C. F. Hermannus de Daphn. Theocr. p. 19 sq. Nam etsi praeter Ov. Amor. III. 9. 27: „hunc quoque summa dies nigro submersit Averno“, quo versu vir doctissimus vulgarem explicationem defendere non licere bene docuit, mentio facienda fuit etiam loci Propertiani, qui legitur III. 16. 9 (IV. 18. 9 ed. Lachm.): „His pressus Stygias vultum demisit in undas“, tamen ne his quidem verbis ullo modo evinci posse puto, quae apud Theocritum leguntur eo modo, quo voluerunt interpretes, accipienda esse. Hactenus igitur Hermannum verum vidisse puto. At vero quam ipse explicationem protulit, significari Daphnidis profluvium, quo nivis ad modum dissolutus decedendo quasi fontem effecisset inque undas abisset, cohaeret illa quidem cum universa sententia, quam de Daphnidis fabula concepit, sed multo magis coacta est multoque durior quam vulgaris interpretatio, neque cum simplicitate sermonis Theocritei ullo modo congruere videtur. Equidem eum, qui mentem animumque nusquam alio nisi in Theocriti versus converterit, assensurum mihi puto, iis tantummodo significari posse, *Daphnidem in fluctus se praecipitasse et ita undis obrutum esse.* Hunc Daphnidis exitum scio a nullo scriptore commemorari; nec tamen hoc mirum fore existimo, si illud reputaveris, et diversarum terrarum fuisse hanc fabulam et in ipsa Sicilia eam ab aliarum regionum pastoribus aliter tradi potuisse. Nam tantum abest ut Theocritum ipsum quidquam [illegible] credam, ut prorr[illegible]

persuasum habeam, omnia, quae ab eo narrata sunt, ex carmine populari desumpta esse.*) Cui etsi multa propria ac peculiaria fuerunt, non deesse tamen, quae ab altera fabula non multum discrepent, ex disputatione mea appariturum esse arbitror. Sed, ut redeam ad rem propositam, videtur adeo testimonium aliquod, quo confirmetur mea de pastoris exitu opinio, erui posse e scholiastae verbis ad id. VIII. 92: οἱ δὲ λοιποί φασιν αὐτὸν τυφλωθῆναι καὶ ἀλώμενον κατακρημνισθῆναι. Quum ex iis, qui caecitatem Daphnidis commemorant, nemo eum de rupe cecidisse narret, suspicari licet, diversa hic confusa esse et verba postrema sic esse corrigenda: καὶ ἄλλοι ἔτι κατακρημνισθῆναι, i. e. aliique etiam, eum de rupe se dejecisse. De morte voluntaria accepit haec verba etiam Adertus Théocr. p. 43, eodemque modo usurpatum est verbum κατακρημνίζεσθαι arg. id. IX: οὐδὲν δὲ ἔχει πρὸς τὸν Μενάλκαν τοῦτον ὄντα Σικελὸν ὑπὲρ Μενάλκου Χαλκιδέως, ὃν φησιν Ἑρμησιάναξ ἐρασθῆναι τῆς Κυρηναίας Εὐίππης καὶ διὰ τὸ μὴ ἐπιτυγχάνειν αὐτῆς κατακρημνισθῆναι. Utrum ii, quorum auctoritatem scholiasta secutus est, et ipsi rem ita tradiderint an Daphnidem se de rupe in fluctus praecipitasse narraverint (cf. id. III. 25 sq. V. 15 sq.), in medio relinquo, quum satis me id probasse existimem, mortis voluntariae testimonium non uno Theocriti loco contineri. Jam si vere disputavi de id. I versibus 138 sq., sequitur primum quidem, ut reponendum sit id. I v. 136 ἀπεπαύσατο, quod plurimi libri praebent, deinde vero, ut iis verbis, quae statim sequuntur, τὸν δ' Ἀφροδίτα ἤθελ' ἀνορθῶσαι, hunc sensum subjectum esse credamus: „hujus animum Venus erigere ac confirmare volebat." Neque vero id satis est; immutanda et convertenda est tota fabula.

Quum enim ne tenuissima quidem suspicio e reliquis poetae versibus elici queat, unde demonstrare liceat, pastorem Nympham in matrimonium duxisse et postea alius puellae desiderio correptum esse, ne ea quidem quae leguntur vss. 82 sq. ἁ δέ τε**) κώρα πάσας ἀνὰ κράνας, πάντ'

*) Cf. etiam quae dixit hac de re Hauler. p. 47.

**) Verba ἁ δέ τε retinenda esse puto. Nam etsi e verbis Vergilii ecl. X. 22 „tua cur? [illegible]" conjici potest, ἁ δέ τοι veram esse

ἅλσεα ποσσὶ φορεῖται ex vulgari ratione explicanda esse puto; sed certum mihi videtur, poetam nihil significare voluisse nisi hoc: „puella fugit quorsum potest, ut ex conspectu tuo se eripiat.“, vel ut proverbio germanico utar: *„das Mädchen läuft davon über alle Berge“*. Cf. praeterea quae similiter dicta sunt id XIII. 70. XIV. 42. Eodem modo verba Theocriti accepit Nonnus Dion. XV. 307: ἃ πόσα Δάφνις ἄειδεν ὑβουκόλος· ἀμφὶ δὲ μολπῇ παρθένος ἀστιβέεσσιν ἐκεύθετο μᾶλλον ἀΐπναις, ποιμενίης φεύγουσα βοῆς μέλος. Quaenam ista puella fuerit, nisi in hanc sententiam detorseris v. 66 sqq., e solis Theocriti verbis conjici non potest; sed Naidem eam fuisse, ostendit Ovidius Art. Am. I. 732: „Pallidus in lenta Naide Daphnis erat“. De hoc loco disputavit etiam Hermannus l. l. p. 7 sq., sed, quae erat ejus praejudicata opinio, statuere aliud non potuit, quam Ovidium praeter nomen nihil ex tota fabula cognovisse. Quod quum per se incredibile sit tum falsum esse evincit, quod alius etiam fabulae meminit Met. IV. 276 sqq. Apparet autem, adjectivo *pallidus* id indicasse poetam Romanum, quod significavit Theocritus verbo τήκεσθαι v. 66 coll. v. 19 et id. V. 20. Infelicis hujus amoris causam e Veneris contemptu repetendam esse clare indicat poeta v. 87 sq. At haereri potest in his verbis propterea, quod non intelligitur, quo modo solus ille fastus, quo pastor se Amorem superaturum esse, gloriatus erat, tam gravem poenam efficere potuerit*). Accedit, quod non verisimile est, hanc fabulam ab ea, quam primum Stesichorum tractasse putant, tam diversam fuisse, ut in ea ne jurisjurandi**)

---

scripturam et substantivum χώρα corruptela laborare, talia tamen, qualia sunt μέλεται δέ οἱ (I. 53), ἐγὼ δέ οἱ (II. 72. 138), τηνεῖ δέ οἱ (II. 98), χέρες δέ τοι (XX. 9, ubi legitur in nonnullis codicibus δέ τι), ὁ δέ τοι κ' ἔρος (XXIX. 12), me ad hanc opinionem deducunt, ut pronomen a librariis illatum existimem. Certe non veri dissimile est, eos memoria tenentes ejusmodi locos, ubi particula δέ cum dativo pronominis conjuncta erat, h. l. invitos peccasse. Quod praeterea in libris legitur δέ τι, non minus e scriptura δέ τοι quam ex altera δέ τε corrumpi potuit.

*) Similiter judicavit etiam Welckerus Opusc. I. p. 195, quamquam reliqua, quae disputavit, a sententia mea discrepant.

**) Jusjurandum aperte commemoratur a Servio ad ecl. V.

quidem aut certe promissi cujusdam mentio fieret. Quibus causis ductus, jusjurandum illud ita in Theocriti fabulam transferendum esse puto, ut Daphnidem existimem in prima adolescentia se sancto quodam promisso Dianae cultui totum addixisse. Atque hanc deam magnopere a Daphnide cultam esse, et aperte dicit Diodorus eo loco, quem in adnotatione huic paginae subjecta excitavi: μυθολογοῦσι δὲ τὸν Δάφνιν μετὰ τῆς Ἀρτέμιδος κυνηγετεῖν, ὑπηρετοῦντα τῇ θεῷ κεχαρισμένως καὶ διὰ τῆς σύριγγος καὶ βουκολικῆς μελῳδίας τέρπειν αὐτὴν διαφερόντως, et indicat ejus venationis studium, de quo cf. Serv. l. l. et Theocr. ep. II. III. Caelibatum igitur se acturum esse, Daphnis coram dea castitatis praeside sancte affirmaverat. Hoc ejus consilium Veneris animum laeserat gravissime ideoque pastori Nymphae amorem immiserat. Neque vero hanc poenam ita intelligendam esse arbitror, quasi dea ex cruciatu bubulci atque aegritudine magnam quandam voluptatem perceperit, sed hoc unum, opinor, egit, ut jamjam agnosceret Daphnis numinis sui potentiam supplicibusque precibus a sese pe-

---

„qui cum et venationis et musices peritissimus esset, adamatus a nympha est, qui etiam jurejurando adstrictus est, ne cum alia concumberet.“ His addi possunt, quae protulit ad eundem versum C. G. Mueller in programmate, quod inscribitur: Commentaria Junilii Flagrii, T. Galli et Gaudentii in Virgilii septem priores eclogas, nunc primum ex codice Bernensi edita. Rudolphipoli 1847. „Daphnis pastor hic cum amaret Caedinam nympham et fidem ei dedisset, expertem se omnium feminarum praeter eam, juravit (pejeravit?) et in quandam nympham lapsus est, et ob hoc pejurium luminis orbatus est, carminis tamen meruit scientia et venerabilis inter pastores fuit pro carmine. Junilius dicit“. Haec statim subsequuntur: „Daphnis Mercurii et *Hersae* filius, in Sicilia pastor eximiae formae fuisse dicitur.“ Integra haec scholia attuli, quoniam continent quaedam, quibus nemo adhuc usus est. Quamquam ea ficta esse a grammatico, admodum verisimile puto. Pactum quoddam, non jusjurandam commemorat Aelian. V. H. X. 18: συνθήκας δὲ ἐποιήσαντο, μηδεμιᾷ ἄλλῃ πλασιάσαι αὐτόν. Vide etiam quae ibi sequuntur. Neutrum legitur apud Diod. Sic. IV. 84 et Parth. Narr. Am. 29, sed dicit ille: λέγουσι δὲ αὐτοῦ μίαν τῶν Νυμφῶν ἐρασθεῖσαν προειπεῖν, ἐὰν ἄλλῃ τινὶ πλασιάσῃ, στερηθήσεσθαι τῆς ὁράσεως, hic in eandem sententiam: τούτου λέγουσιν Ἐχεναΐδα νύμφην ἐρασθεῖσαν παρακελεύσασθαι αὐτῷ γυναικὶ μὴ πλησιάζειν· μὴ πειθομένου γὰρ αὐτοῦ συμβήσεσθαι τὰς ὄψεις ἀποβαλεῖν. *Jusjurandum jam* a Timaeo omissum videtur, sed injuria.

teret, vellet mutuum amorem Nymphae injicere. Quare nihil mihi obstare videtur, quin id. I v. 96 id, quod omnes fere libri praebent, λάθρα μὲν γελόωσα pro vera scriptura haberi possit. Fac enim, Venerem id, quod voluerat et spectaverat, a bubulco factum iri non solum sperasse, sed etiam confisam fuisse, eamque praeterea pastoris miseria mitigatam et emollitam esse: apparebit clarissime, cur dici potuerit, eam *ridentem*, i. e. *laetam* accessisse. At quoniam nondum se superatum esse Daphnis aperte confessus erat, occultare debuit hoc reconciliati animi signum et paululum etiamtum reprimere. Itaque factum est, ut accedens ad eum fronte iram simularet. Etenim verbum ἀνέχειν significare h. l. *in altum attollere, prae se ferre*, mihi recte disputasse videntur Valckenarius in ed. et Doederlinus *Reden und Aufsätze* II. p. 161 sq., qui etiam in explicandis verbis antecedentibus plane mecum consentit. Commendat hanc interpretationem etiam Nonni quae videtur imitatio, cujus verba attulit Jacobsius, Dion. XXXIV. 302 sq. ὡς ἑτερὴν κοτέων πρόμος ἤπιος· ἀμφότερον γὰρ, εἶχε νόον γελόωντα, χόλον δ' ἀνέφηνε προσώπῳ.*) Verum quod magna cum fiducia Venus exspectaverat, id non assecuta est. Daphnis sanctum illud promissum, quod dederat deae, in cujus tutelam se commiserat, usque ad vitae finem religiose servavit. Quamobrem v. 102 sq. recte praedicare potuit, sibi nondum omnium dierum solem occidisse, immo se etiam apud inferos Amori gravem dolorem paraturum esse. Est enim satis manifestum, bene cognitum habuisse pastorem, quod esset Veneris consilium; at quominus ei morem gereret, religione prohibitum esse. Nec vero haec sola causa fuit, sed maxime, quod Diana ipsa praesens adstabat. Hanc enim praesentem affuisse et tota fabula suadet et indicant ipsa poetae verba. Ex ea sententia, quam concepi de fabula Daphnidis Theocritea, apparebit, me de sensu versus 85

*) Dubius adhuc haereo, vox ἀδεῖα, quae legitur v. 95, utrum ex Buttmanni sententia pro genere neutro accipienda et cum participio γελόωσα jungenda sit an, ut voluit G. Hermannus, appositionis loco ad verbum ἦνυε referri debeat. Ahrensii quidem sententia, qui eam cum verbis καὶ ἁ Κύπρις conjunxit, mihi propter articuli collocationem probanda non videtur.

G. Hermanno adstipulari. Qua de causa aut recipiendum est ζατεῦσαι, quod conjecerat Hermannus et postea in uno codice Zieglerus invenerat, aut, quod magis etiam probandum videtur, e scriptura codicum k. (ζάτεισα) et D. (ζατεισα) versus ita refingendus est: ζάτει· πᾷ δύσερώς τις ἄγαν καὶ ἀμήχανός ἐσσι; „quaere eam! qui fit, ut nimia cum miseria et inopia in amore verseris?“ Adjectivum enim ἀμήχανος h. l. activo sensu *inopem* significat explicatque accuratius vocabulum δύσερως, quod in universum eum denotat, qui *infeliciter* vel *misere amat*. Profiteor tamen, me non aegre laturum esse, si δύσερως h. l. is esse posset, qui *male*, *perverse amat*, quod significationis temperamentum adhaeret substantivo δυσβουλία. Hoc utut est, illud certe apparet dilucide, Priapum adhortari Daphnidem, id quod in dei lascivi indolem egregie convenit (cf. ep. III), *ne contabescat amore, sed investiget puellam fugientem eaque adeo per vim potiri studeat.* Ab hac sententia prorsus abhorrent versus sequentes (86—91). Namque in iis pastori opprobrio vertitur, quod, quum viderit puellas ridentes, amore contabescat et choreas cum iis ducere cupiat, satisque maligne cum caprario comparatur. Quocirca Doederlinum, quamquam in reliquis ab eo dissentio, tamen hoc recte disputasse puto l. l. p. 159*), haec verba a Priapi oratione sejungenda esse. Jam quum desit v. 86 a cod. 6. *m. pr.*, verisimile esse arbitror, eum a grammatico quodam in versus genuini locum substitutum esse et hujus sensum hunc fuisse: „*Accessit etiam Diana graviter irata et haec dixit:* Caprarius quando videt etc.“ Praeterea removendum est ephymnium, quod legitur post v. 88 et tres versus antecedentes (nam perditi quoque versus nunc rationem habeo) cum versibus 90—93 in septem versuum stropham jungendi. Cui respondebit alia stropha, si, quod suadet idem cod. 6., ordinem versuum 84 et 85 permutaveris et ejeceris etiam ephymnium, quod nunc legitur post

*) Non latent me, quae contra Doederlinum dixit Ameisius Ann. 1845. 45. 2. p. 108 sq., sed quae disseruit vir praestantissimus, non sufficere videntur, praesertim si ea sententia probatur, quam ego verbis antegressis subjectam esse puto. Mira sunt quae de Priapi oratione nuper Hauler. l. l. p. 46 pro

v. 78. Ahrensium enim neque hoc recte egisse puto, quod ejecit versus 92 et 93, neque illud, quod omisit versus 77 et 87. Duos priores ut retineamus, mihi sententia prorsus flagitare videtur, sed offendit me vulgaris interpretatio verbi ἄνυε v. 93. Explicavit hoc Wuestemannus ita: „ἀνύειν est perficere, ab uno fine ad alterum perferre", Valckenarius autem ed. I sic: „sed suum tolerabat amorem acerbum, atque in illo fortiter ferendo vitam ad finem usque transigebat", reliqui, quantum scio, nihil certius de eo dixerunt. Mihi quidem maxima vis in imperfecto ponenda videtur, quod de conatu intelligo, significarique existimo h. l. ἀνύειν *exstinguere*, ita ut huc redeat sententia: „studebat pastor suum amorem exstinguere vel comprimere." Conferri potest de hoc vocabuli significatu Hom. Od. ω. 71: αὐτὰρ ἐπεὶ δή σε φλὸξ ἥνυσεν Ἡφαίστοιο. De altero loco, quem ejecit Ahrensius, ita disputabo, ut dicendi initium a versuum sententia faciam. Nimirum artificiose a poeta res ita instituta est, ut primum ii accederent, qui etiam tum benevolo animo erga pastorem erant. Ex his primo loco nominandus erat Mercurius, quippe qui princeps esset deorum agrestium (cf. Valcken. ad h. l. et Ameis. Ann. l. l. p. 108); hunc subsequi debebant pastores, quandoquidem hi aegritudinis causam ignorabant, quemadmodum etiam non satis de ea edoctus erat Mercurius; tertio denique loco Priapus commemorandus erat, quum, etsi cognitum habebat, cujus amore Daphnis contabesceret, tamen perversum ei consilium daturus esset. Quod autem poeta Priapi orationi hunc locum tribuit, ea re etiam id assecutus est, ut magis efferrentur Dianae verba, quippe illius prorsus opposita. Haec ipsa enim acerba comparatione usa pastorem reprehendit acerrime, quod castitatis officium plane deseruisse videretur. Cum ejus verbis quaedam, quae ad ipsum Daphnidem pertinent, ita in unam stropham conjuncta sunt, ut eam aptissime claudant. Denique accessit dea Venus. Cujus ira eo die adeo exstincta erat, ut simularet tantummodo odium, animo jam erga Daphnidem benevolo esset eumque ab omni cruc[illegible] liberatura fuisset, modo bubul[illegible] quod impetrare [illegible] bat, se ab ipsa victum pr[illegible]t et, ut Ny

amorem sibi conciliaret, supplicibus precibus orasset. At noluit pastor Dianae cultum deserere; quum tamen pectoris aestum amplius perferre non posset, paratus ad mortem sibi consciscendam, omnibus, quae ei cara erant, valedixit Panemque ex Arcadia advocavit, cui fistulam suam traderet. Pastoris consilium quum Venus animadvertisset, ejus animum erigere voluit, sed sero: Daphnis sese in fluctus dejecit.

Summam orationis vim et gravitatem constare in eo, quod quae singuli loquuntur inter se prorsus opposita et contraria sunt, non est, quod multis verbis exponam. Quare converto me ad oppugnandam eam causam, quam Ahrensium permovisse video, ut Mercurii verba omitteret. Nempe, quae est viri doctissimi diligentia in usurpandis omnibus rei criticae subsidiis, ad firmandam suam sententiam adscivit quae exstant schol. ad v. 92: πρὸς τούτους, ἤγουν τοὺς νομεῖς καὶ τὸν Πρίαπον, οὐδὲν ἔλεξεν, ἀντὶ τοῦ οὐδὲν ἀπεκρίνατο ὁ βουκόλος. At accidit scholiastae h. l. idem, quod ei accidisse apparet ad id. IX. 33: ἦστινος ᾠδῆς ο οἶκος ὅλος γένοιτο πλήρης! οὔτε γὰρ ὕπνος ἡμῖν γλυκερώτερος, οὔτε τὸ ἔαρ ἐξαίφνης ἐλθὸν (τοσοῦτον) γλυκύ, ὅσον ἡ μουσουργία. Nam quemadmodum illic Mercurii orationem non spectavit, ita hic neglexit verba οὔτε μελίσσαις ἄνθεα.*)

*) Item mihi vir doctissimus non recte usus esse videtur scholiastae verbis ad id. IX. 49 (v. 43 ed. Ahr.). Putavit enim, grammaticum pro infinitivo ἔχειν legisse participium ἔχων; at meo judicio falsus est. Nam si ipsa verba scholiastae (τίς τοσαῦτα ἔχων, ὅσα ἐγὼ ἔχω δηλονότι, ἀφεὶς ταῦτα προέλοιτο, ἤγουν προκρίνοι, οἰκεῖν θάλασσαν καὶ κύματα;) accuratius consideraveris, apparebit, opinor, clarissime, eum infinitivo οἰκεῖν alterum infinitivum ἔχειν explicasse. Verba autem quae antecedunt τίς τοσαῦτα ἔχων longe aliud quid atque Ahrensius voluit indicare videntur. Conferenda enim sunt cum glossa codicis L. ἕνεκα τοσούτων. Praeterea reputandum est, scholiastam neque κα neque κεν legisse, quandoquidem solo optativo in interpretatione usus est. Nihil igitur magis perspicuum esse puto quam scripsisse poetam: τίς κήκ τῶνδε θάλασσαν ἔχειν καὶ (id recte Ahrensius reposuit) κύμαθ' ἕλοιτο. Significant verba ἐκ τῶνδε: *in tali rerum condicione, pro tali rerum statu,* quod h. l. nihil aliud est nisi *talia quum offerantur* vel *talia quum habere possit.* Cf. *Soph. Aj. 537. 823.* Trach. 1109. Eur. Med. 459. [redacted] 1184 *quaeque et de hac formula et de similibus dixe*[redacted]

Contra aliud scholion, quod exstat ad eundem id. I. versum, nonnihil eam sententiam fulcire videtur, quam de Dianae praesentia exposui. Nam leguntur ad v. 92 etiam haec: πρὸς τούτους δὲ, οὕστινας ἄνωθεν εἴπομεν, ἤτοι τοὺς βούτας, τοὺς ποιμένας καὶ τοὺς αἰπόλους, τὸν Πρίαπον καὶ τοὺς λοιποὺς, οὐδὲν ἐφθέγξατο ὁ βουκόλος, ἤτοι ὁ Δάφνις. Qui hic commemorantur οἱ λοιποί, eos a scholiasta Mercurium et Dianam intellectos esse puto, quamquam cuipiam credibile videri possit, verba ἤτοι τοὺς βούτας — αἰπόλους temere ab alio scholiasta interjecta esse.

Cum hoc fabulae argumento ea conspirant, quae legimus id. VII. 73 sqq. Neque enim video, cur id negaverit Haulerus l. l. p. 45. Xenea, quae ibi profertur, est illa ipsa Nympha, cujus amore Daphnis correptus erat. Variam lectionem Ξάνθα (vid. in h. l. Ahrens.), quam tradidit scholiasta, verisimile est a grammaticis ex Stesichori carmine huc translatam esse, videturque ille poeta hoc nomine regis filiam designasse. Vide quae de nominibus Calyca et Rhadina, quae in duobus carminibus similis argumenti a Stesichoro usurpata erant, bene exposuit Welcker. Op. l. l. p. 186 sqq.

Restant quaedam, quae ad solam stropharum compositionem pertinent. Ac primum quidem vere disputasse puto Hauptium Mus. Rhen. Nov. l. l. p. 265 sq., versus 118 et 119 post v. 128 collocandos esse; quo facto duae strophae quinorum versuum habentur. Probaverunt viri doctissimi sententiam G. Hermannus de art. poes. buc. p. 9 et Ahrensius in ed., et magnopere laetor, quod prior horum extremo vitae tempore eam sententiam abjecit, quam conceperat olim propter Verg. ecl. V. 40 sqq. De versibus

---

p. 1335. ed. III. Bernhardy. Synt. p. 230. Particula καί, modo retineatur versuum ordo vulgaris, quem mutasse Ahrensium video, eodem modo concludendae orationi inservit, quo factum est id. I. 60. XXI. 61. Exposuit elegantissime de hoc usu Fritzschius l. l. p. 54 eique assensus est Ameisius praef. p. VII. Optativum a poetis bucolicis sine particula positum esse, negaverunt Hermannus ad Mosch. p. 64. Ahrens. Phil. l. l. p. 425 sq., sed mea quidem sententia [illegible] egerunt. *Quod si solus optativus* nullo modo ferri potest [illegible] *dum est κ' ἐκ τῶνδε.*

105—111 difficillimum est certius quiddam statuere. Si tamen ex diversis hominum doctorum opinionibus unam eligere licet, profiteor, id mihi maxime probandum videri, quod existimavit de hoc loco Hermannus. Arbitratus est vir egregius ibidem, ante v. 110 duos vss. excidisse, quorum argumentum ex Odyssea sumptum fuisset; Daphnidem enim in iis Venerem admonuisse retis, in quo Marti concubantem Vulcanus risui deorum exposuisset. Quod si verum est, duas alias strophas quaternorum versuum habemus. Quod idem putavit, versus 64 et 65 inverso ordine ponendos esse, ut Thyrsis, antequam carmen suum caneret, hoc fuerit praefatus: Θύρσις ὅδ' ὥξ Αἴτνας καὶ Θύρσιδος ἅδ' ἁ φωνά, ita invertendum opinor, ut ephymnium delendum, nihilominus tamen versum 65 pro praefatione totius cantilenae habendum esse censeam. Si denique ex ejusdem sententia versus 66—69 proodum, versus 136—139 epodum carminis constituere volumus, stropharum rationem numeris ita describere licet:
IV. | . II. II. VII. VII. | IV. IV. IV. IV. | IV. IV. V. V. | IV.
Neque enim repugno, quominus tres carminis partes fuisse putentur, dum ne existimes, eas diversis ephymniis inter se disjunctas fuisse. Ahrensii sententia, quam in editione proposuit, mihi maxime propterea improbanda videtur, quod vss. 113—116 (in ejus ed. 103—106) secundae parti adscripsit.

Quae disputata sunt a me de Daphnidis fabula Theocritea, fulciri confirmarique videntur duabus Vergilii eclogis, *decima* et *octava*. Ansam eclogae decimae componendae Vergilio dedit Lycoridis perfidia. Haec crudeliter deseruerat amicum poetae Cornelium Gallum; nam quum ipse duce Octaviano ad classes Pompejanas a litoribus Italiae arcendas in armis esset, aliquem militem ex eo exercitu secuta erat, quem Agrippa in Galliam ducebat. Dolore oppressus Gallus amicum oraverat, ut aegritudini suae carmine pastoritio subveniret. Hoc unum colligere licet e v. 3: „Carmina sunt dicenda: neget quis carmina Gallo?“ minime, quod Vossius Martyni judicio obsecutus statuit, Gallum aliquando a Vergilio petisse, ut idyllium primum Theocriti imitando exprime hoc ut in parte prima

adumbraret, adductus est poeta similitudine, quam inter Galli et Daphnidis sortem intercedere videbat, idque eo magis, quod quosdam idyllii locos priore tempore nondum imitatus erat.

De singulis eclogae verbis, quum quae ad imitationem pertinent jam supra ex parte tractaverim et uberius tractaturus sim alio tempore, hic ea tantum persequar, quae spectant ad propositum. In disceptationem vocandi sunt inprimis versus 9—30, in quibus adumbravit poeta quae exstant apud Theocritum vss. 65—91. Atque expressit v. 9—12 versus Theocriti 66—69 ita, ut mutaret, quae propter scenam in Arcadiam translatam invertenda erant. V. 13—15 ante oculos habuit versus 71 et 72, ut e vocabulorum repetitione apparet; sed quum sententiam horum versuum jam adumbrasset ecl. V. 27 sq. et videret etiam, quae de Daphnide narrantur, apte non posse ad Gallum transferri, magis se accommodavit ad id. VII. 74, eoque simul hoc lucratus est, ut montes Arcadiae, Maenalum et Lycaeum, commemorare posset. Licet autem ex hac imitatione id concludere, Vergilium quoque existimasse, eandem Daphnidis fabulam in primo et in septimo idyllio intelligendam esse. Versus Theocriti 74 et 75 adumbravit v. 16—18, de suo et ex aliis Theocriti ejusque assectatorum locis addens, quibus excusaret, cur Gallum opilionem finxisset. Paululum immutavit Theocritea in versibus sequentibus. Nam ab auctore deflectens primos accedere finxit pastores, opiliones, subulcos (propter sues Arcadum) et semet ipsum ut bubulcum. Menalcae nomine poetam semet significasse, mihi persuasum est propterea, quod alioquin nomine proprio prorsus abstinuisset. Quare etiam hac de causa rectissime Wagnerus v. 19 scripturam *subulci* retinuisse videtur. Nam ibi si vocem *bubulci* reponimus, poeta *subulci* speciem assumpsit, quod omnem probabilitatem excedit. In iis, quae v. 21 pastores loquentes fecit, spectavit et Mercurii orationem (v. 78) et pastorum (v. 81). Hoc manifestum est ex versus forma et ratione rythmica (*Omnes, unde amor iste, rogant, tibi? Venit Apollo* coll. πάντες ἀνηρώτων, τί πάθοι κακόν· ἦνθ' ὁ Πρίηπος), illud e sententia verborum: *und* [illegible]*ste?* coll. τίς τυ κατατρώ

τίνος, ὦγαθέ, τόσσον ἐρᾶσαι; Hinc satis elucet, legisse Vergilium in suo codice orationem Mercurii. Quod vero ordinem versuum mutavit, id eo consilio fecisse putandus est, ut deos conjunctim induceret. Non aliter quae a Theocrito in idyllio quinto diversis locis (vss. 84—99. 104—107. 132—135) de amoribus dicuntur, in ecloga tertia (vss. 64—83) juxta collocavit, nisi quod paucis verbis ad eos rediit v. 101 et 107. Ex diis primum accedere finxit Apollinem v. 22 sq.: „Venit Apollo: | Galle, quid insanis? inquit; tua cura Lycoris | Perque nives alium perque horrida saxa secuta est.“ Ex hac imitatione haec duo lucramur. Primum etiam Vergilius putasse videtur, Mercurium apud Theocritum principem locum tenuisse propterea, quod dignitate princeps esset inter deos agrestes. Id nisi existimasset, pro eo non posuisset Apollinem, qui cognomine Nomius praecipuo honore colebatur ab Arcadibus. Cf. Cic. de nat. deor. III. 23. 57 ibique Schoemann. Deinde vero ex loco Vergiliano magnus quidam fructus redundat ad explicandos versus Theocriti 82 et 83. κἤφα· Δάφνι τάλαν, τί τὺ τάκεαι; ἁ δέ τε κώρα | πάσας ἀνὰ κράνας, πάντ' ἄλσεα ποσσὶ φορεῖται. Intelligitur enim, verba Apollinis non e Mercurii, sed e Priapi oratione deprompta esse. Jam utriusque poetae verba si inter ipsa comparaveris, verissima videbitur G. Hermanni sententia, etiam poetam Romanum hoc arbitratum esse, fugisse Nympham Daphnidem, non quaesivisse. Versum Theocriti 85 Maro usurpare non poterat, quandoquidem tale consilium, quale h. l. Priapus Daphnidi dedit, amico dare nullo modo licebat. Pro Priapo Vergilius v. 24 sq. deum Romanorum, Silvanum, nominavit. Quod vero huic coronam e ferulis et liliis factam tribuit, spectasse videtur similem Priapi ornatum Theocr. ep. III. 3 sq. Verba Silvanus nulla facit, contra consolari studet Gallum qui ultimo loco advenit Arcadum deus Pan v. 26—30. Quamquam ejus orationi nihil cum Dianae verbis commune est*), tamen ex eo, quod hic post Apollinem et Silvanum

*) Memorabilis est v. 28 scriptura *Et quis,* quam cum aliis codicibus exhibet liber optimus Romanus (cf. Wagner. Vol. V. praef. p. XXXIX). Huic auctoritatis alio[illegible] Theocr. v. 77 εἶπε δὲ. v. 82 κἤφα. v. 97 κεἶπε. Nar quoque rebus Ver-

tertius accedit, colligi posse arbitror, revera in codice carminum Theocriti, quo usus est Vergilius, post Mercurium et Priapum Dianam commemoratam esse ejusque verba a verbis Priapi sejuncta fuisse. Nam quae Venus dicit apud Theocritum, eorum Vergilius nullam rationem habuit ideoque statim post Panis orationem Gallum pastores Arcades alloqui finxit. Quocirca ne id quidem dicere licet, non legisse poetam Romanum versus 92 sq.

Haec hactenus de ecloga decima. Ad explicandam ultimam partem carminis, quod Thyrsis Theocriti cecinit, utilissima est pars prior *eclogae octavae*. Hoc carmen, si discesseris a paucis versibus, magna arte elaboratum insignique suavitate conditum est. Atque debuit profecto poeta in pangenda ecloga omni diligentia elaborare, quandoquidem, ut apparet ex vss. 11 sq. (Accipe jussis carmina coepta tuis), ad eam componendam a Pollione, excelsi ingenii viro, excitatus erat. Nam si quaerimus, quomodo intelligendus sit numerus pluralis *carmina*, is neque cum Wagnero et Ladewigo ad omnes eclogas neque cum Vossio tantummodo ad posteriorem cantum referri potest. Wagnerus in editione minore hanc explicationem protulit: „carmen hoc, quod est ex eo genere, sc. bucolico, ad quod temptandum tu me excitasti.“ Kochius vero, praeceptor meus carissimus, relegavit lectorem ad ecl. III. 7, ad quem versum in utriusque editione plures loci laudati sunt, in quibus numerus pluralis nominum eum significat, qui est e numero vel in condicione eorum, qui eo nomine vocantur. At est haec explicatio ejusmodi, quae, cum in quosdam locos egregie conveniat, tamen ab hoc loco prorsus removenda sit.*) Contra Vossius putavit, Pollionem a Vergilio petisse, ut Pharmaceutrias Theocriti carmine aliquo adumbraret, poetam autem et fautoris precibus satisfecisse et carmini ab illo efflagitato ipsum aliud opposuisse. Id si fecisset Pollio, mirandum profecto esset, quod non apertius et

---

gilius in hac quidem ecloga se ad auctoris exemplum composuit. Cf. v. 13 sqq. cum Theocr. v. 71 sq., v. 21 cum v. 81, v. 23 cum v. 83. Hinc defendi etiam potest genitivus Πίνδω v. 67, quam Ahrensius (in ejus ed. est v. 66) in accusativum mutare voluit. Cf. Vergilii verba v. 1[illegible]

*) De ecl. III. v. 7 vid[illegible]tavit Ameis. Spic. p. 5.

clarius hoc poeta indicasset quam verbis ambiguis „accipe carmina tuis jussis coepta“. Neque commendari existimo Vossii opinionem versibus 62 et 63. Ex his enim nihil conjicere licet nisi hoc unum, Vergilium propterea hoc carmen a Musis recitari voluisse, quod illud doctius haberet quam Damonis cantum, non, ut Vossius statuit, quod Pollioni blandiri et insinuare cuperet, cujus hortatu ad componendum carmen aggressus esset. Ac poterat sane poetá praestantiorem judicare posteriorem cantilenam. Nam si quae in ecloga reprehensione digna videntur, ea non inveniuntur nisi in priore cantico*). At delatus est vir doctissimus in miram hanc opinionem inscriptione eclogae „Pharmaceutria“. Falsum vero hunc titulum esse, non solum hoc ostendit, quod longe alius titulus (Damonis et Alphesiboei Certatio) in codice Mediceo legitur, verum etiam illud, quod reliquarum quoque eclogarum alii libri aliam inscriptionem habent, ita ut, quinam genuini tituli sint, prorsus nesciri fatendum sit. Accedit, quod is titulus eo demum tempore eclogae inscriptus esse videtur, quo apud Theocritum pro vera inscriptione Φαρμακεύτριαι (cf. Meinek. p. 162 et Ahrens. in ed.) altera Φαρμακεύτρια in codices irrepserat. Id jam Vergilii aetate factum esse, non verisimile puto; factum erat tempore Servii, in cujus adnotatione ad eclogae versum 1 legitur Φαρμακεύτρια. Quare suspicari possis, vel ab ipso Servio vel ab iis, quibus usus est auctoribus, etiam Vergilii eclogae titulum „Pharmaceutria“ inscriptum esse**). Praeterea perversam esse puto Vergiliique ingenio plane

*) Reputari tamen velim, Vergilium praeter id. X. 24 sq. ante oculos habuisse etiam id. XXII, 115 sqq., ubi poeta in media narratione Musam orat, ut sibi, quomodo vicerit Pollux Amycum, dicere velit. Nec tamen contendere licet, Theocritum posteriorem narrationis partem doctiorem habuisse quam priorem. Accedit, quod, si nimium in modum premimus versuum sententiam, parum intelligitur, qui fieri potuerit, ut poeta vss. 1—5 eandem praestantiae laudem utrique carmini tribueret.

**) *Pharmaceutria* a Servio secundum Theocriti idyllium vocatur etiam in scholio supra (p. 57) laudato ad ecl. VIII. (non III) 21. Grammaticus, qui prioris cantilenae versum intercalarem ex secundo idyllio expressum esse putaret, quid mirum, si eo etiam delapsus est, ut totam eclogam Pharmac ndam esse existimaret?

indignam Heynii sententiam, qui in arg. contendit, duo eclogae carmina per se constare neque ullo vinculo connexa esse. Hoc judicium inde natum esse apparet, quod existimavit vir doctus — amplexati autem sunt hanc sententiam omnes reliqui Vergilii interpretes —, Damonis cantum ex idyllio tertio expressum esse. Id vero merum commentum esse, sibi persuasuros credo, quicunque consideraverint, quantopere caprarii verba a cantu pastoris Vergiliani discrepent atque differant. Nam pauci quidam versus, qui ex illo carmine adumbrati sunt, nihil probare possunt, ubi de universo colore carminum quaeritur. Atque usus est poeta in eadem eclogae parte etiam aliorum idylliorum et verbis et sententiis*). Verum dicam plane, quod sentio. Equidem ea opinione imbutus sum, ut Vergilium existimen excitatum esse a Pollione, ut duo prima Theocriti idyllia uno carmine conjungeret. Huic sententiae haud mediocris commendatio vel ex eo paratur, quod, ut supra (p. 57 sq.) disserui, poeta in versibus intercalaribus se ad primum maxime idyllium accommodavit. Accedit aliud quiddam, quod hac in causa maximi momenti habendum est. Nempe exemplo Thyrsidis Theocritei apud Vergilium Damon et Alphesiboeus non suas res, sed aliorum describunt. Denique totius cantus sententia ita comparata est, ut cum ea fabulae Daphnidis interpretatione, quam ego supra proposui, mirifice congruat. Pastor enim, cujus partes agit Damon, quum cognovisset, Nisam se aspernatam esse atque eo ipso die alteri nupturam, de rebus suis desperans, vitae vim afferre constituit. Continet autem ejus oratio gravem et acerbam de perfidia puellae et de crudelitate Amoris conquestionem, et in extremis versibus pastor, postquam silvis valedixit, se jam in undas sese dejecturum esse claris verbis indicat. Cur poeta non omnes idyllii versus, de quibus agitur, imitari potuerit, ex opposito Alphesiboei carmine intellectum iri existimo. Cujus cantus etsi talis est, in quo idyllii secundi vestigia ubique reperias, tamen finem prorsus diversum habet. Nimirum

*) Ceterum conferas quae de argumento idyllii III. el[illegible] exposuit Ameisius Adn. p. 27

quum a poeta Siculo res ita tractata esset, ut Simaetha peracto sacrificio magico, cujus non erat faustus exitus, Lunae amoris sui originem et progressum narraret eoque narrato aliis artibus juvenem Delphidem tentare constitueret, et his si nihil profecisset, adeo interfecturam sese juvenem minaretur, quum denique, ut tranquillus esset carminis exitus, egregio quodam artificio poeta virginem profitentem fecisset, sese tranquillo placidoque animo amorem perlaturam esse: a Vergilio eam puellam descriptam et ante oculos nostros positam esse videmus, quae, quum nihil intentatum reliquisset, quo amorem Daphnidis recuperaret, etiam artium suarum prosperum eventum esse cognosceret. Hoc carminis argumentum si cum sententia prioris cantilenae contenderimus, haud cunctanter, opinor, concedemus, ita Vergilium quod mandaverat Pollio sese optime assecuturum esse putasse si *cum tristi infelicis ac desperati amoris exitu felicem exitum amoris omnia moventis* composuisset. Quod consilium quum cepisset poeta, ei in pangendo priore cantu aliquantum a Theocriti auctoritate deflectendum erat. Praecipue omnia omittenda erant, quae ad peculiarem Daphnidis fabulam pertinerent, et juvenis statim ab initio loquens inducendus. Ita factum esse puto, ut poeta, quamquam, quatenus fieri poterat, totum Thyrsidis cantum ante oculos habebat, tamen extremos tantum versus imitando exprimeret. Imitatus autem est vss. 52—58:

> Nunc et ovis ultro fugiat lupus, aurea durae
> Mala ferant quercus, narcisso floreat alnus,
> Pinguia corticibus sudent electra myricae,
> Certent et cycnis ululae, sit Tityrus Orpheus,
> Orpheus in silvis, inter delphinas Arion.
> (Incipe Menalios mecum, mea tibia, versus.)
> Omnia vel medium fiant mare.

Cum his comparentur id. I. Theocritei vss. 130—134:

> Νῦν δ' ἴα μὲν φορέοιτε βάτοι, φορέοιτε δ' ἄκανθαι,
> ἁ δὲ καλὰ νάρκισσος ἐπ' ἀρκεύθοισι κομάσαι.
> πάντα δ' ἐναλλα γένοιτο, καὶ ἁ πίτυς ὄχνας ἐνείκαι,
> Δάφνις ἐπεὶ θνάσκει, καὶ τὼς κύνας ὤλαφος ἔλκοι,
> κἠξ ὀρέων τοὶ σκῶπες ἀηδόσι γαρύσαιντο.

Ex hac imitatione satis manifestum est, incaute egisse Doederlinum, quod l. l. p. 163 sq. versus post

v. 140 collocandos esse statuit. Vulgarem versuum ordinem in suo codice invenerat Vergilius, et gaudeo, me ad ea argumenta, quae protulit contra Doederlinum Ameisius l. l. p. 109 sq., hoc novum adjicere posse, quod mihi non levissimum esse videtur.

Iis verbis, quae sequuntur v. 58 „Vivite silvae", breviter, sed magna cum vi poeta Romanus id significavit, quod uberius descriptum est a poeta Siculo vss. 112—116:

ὦ λύκοι, ὦ ϑῶες, ὦ ἀν' ὧρεα φωλάδες ἄρκτοι,
χαίρεϑ'· ὁ βωκόλος ὔμμιν ἐγὼ Δάφνις οὐκέτ' ἀν' ὕλαν,
οὐκέτ' ἀνὰ δρυμώς, οὐκ ἄλσεα. χαῖρ', Ἀρέϑοισα
καὶ ποταμοί, τοὶ χεῖτε καλὸν κατὰ Θύμβριδος ὕδωρ.

Causam hujus rei a Vossio perspectam esse existimo, cujus verba ita adscribam, ut, quae sententiam meam magis etiam explanare credam, ipse interjiciam: „*Noch ein (kurzes und rasches) Lebewohl den hervorragenden Waldhöhen, und er springt von der jähen Klippe in die Fluthen herab.*" Reputantibus enim nobis, apte pastoris desperantis condicionem ita describi, ut, ne diutius a proposito retineatur, non omnia, quae ei cara sint, singillatim enumeret, sed una silvarum commemoratione, quippe quam memoria reliquarum rerum ad vitam pastoritiam pertinentium ultro sequatur, totam rem absolvat: hoc, inquam, reputantibus non ita necessario „rei ratio flagitare" videbitur, ut Hermanno (ad. Bion. p. 47 sq.) adstipulantes versum hic excidisse credamus. Addendum est aliud, ad quod Hermannus quique eum in lacuna designanda secutus est Ladewigus attendere debuerunt diligentius. Nimirum si revera Vergilius rem accuratius describere voluisset, ei depingendae sine dubio integram stropham dedicasset. Fecit id Theocritus, cujus versibus Hermannus pro argumento usus est. Postremo etiam hoc considerari velim, poetam consulto in sententiarum ordine a poetae Syracusani exemplo discessisse. Nam apud Theocritum Daphnis, antequam optat, ut rerum natura immutetur, valedicit feris et saltibus et fluminibus. Hunc ordinem non mutasset ejus aemu[illegible] pluribus verbis uti voluisset. Nunc vero paucissi[illegible] aptissime rem in fi[illegible]

Quominus Vergilius ea verba imitaretur, in quibus Daphnis Pani fistulam suam munus offert, impeditus est pastoris persona. Nam commemorat quidem is, cujus partes agit Alphesiboeus, extremum quoddam munus, sed, quoniam mortem suam significat, illud magna cum acerbitate perfidae puellae offert. Legitur hoc vss. 59 sq.

> Praeceps aerii specula de montis in undas
> Deferar; extremum hoc munus morientis habeto.

In his versibus infelix pastor, quid jamjam facturus sit, non aliter indicat atque significaverat Daphnis apud Theocritum v. 128: ἦ γὰρ ἐγὼν ὑπ' ἔρωτος ἐς Ἄϊδος (sic recte Ahr., apud quem est v. 115) ἔλκομαι ἤδη et v. 133: Δάφνις ἐπεὶ θνάσκει. Mortis genus ipsa Daphnidis oratione accuratius describere Theocritus non necesse habuit propterea, quod illud a Thyrside commemorari volebat in fine cantilenae vss. 138 sq. Id fieri debebat a Vergilii pastore, apud quem a principio usque ad finem carminis hic omnia loquitur. Hac autem mutatione poeta Romanus una id assecutus est, ut in rem suam converteret praeter id. XXIII. 20 sq. (δῶρά τοι ἤνθον λοίσθια ταῦτα φέρων, τὸν ἐμὸν βρόχον) etiam id. III. 25 (τὰν βαίταν ἀποδὺς ἐς κύματα τηνῶ ἀλεῦμαι).

His ita expositis, intelligetur etiam, cur Vergilius in opposito Alphesiboei carmine integrum idyllium secundum adumbrare non potuerit. Etenim, quo pastorum cantilenae revera inter se oppositae essent, non solum id curavit, quod jam supra commemoravi, ut puellae sacrificium faustum eventum haberet, sed elaboravit etiam in eo, ut illa magis suspicaretur de Daphnidis perfidia quam eam compertam haberet. Ad hoc si adjeceris, a secundae partis idyllii imitatione vel propterea poetae abstinendum fuisse, quod alioquin utriusque cantilenae versus intercalares inter se non congruissent, non erit amplius, quod miremur, Vergilium ex illa parte nihil praeter paucos versus (95 sq. coll. Theocr. vss. 161 sq.) ante oculos habuisse ideoque sub finem eclogae (v. 101 sq.) dissimillimi carminis versus (XXIV. 92 sqq.*) adumbrare non dubitasse.

---

*) Imitationem h. l. non agnovisse videtur [illegible] (est apud *eum id.* XIX. 93 sqq.), sicut eam non agno[illegible] v. 86 sq.)

De *ecloga quinta*, in qua Vergilius, si omnino Daphnidis fabulam spectavit, alteram secutus est, quam Stesichorus primus tractasse videtur, alio loco sententiam meam in medium proferam. Potuisse Vergilium eam accurate cognitam habere, jure aliquis conjecerit, qui poetam et amicum Cornelii Galli et discipulum Parthenii fuisse reputaverit. Interim cf. Parth. Narr. am. praef. et narr. 29, Meinek. An. Al. p. 257 sq., Jan. ad Macrob. Saturn. V. 17. 18. p. 454, Adert. Théocr. 45 sq.

Appendicis loco quasdam conjecturas proponam, quibus aliquot poetarum bucolicorum locis subveniri posse arbitror. Horum primus est Theocr. id. XXI. v. 48 (Inc. III. Ahrens.):

> Τὸν κάλαμον δ' ὑπὸ τῶ κινήματος ἀγκύλον εἶχον·
> τὼ χέρε τεινόμενον περικλώμενον εὐρὺν ἀγῶνα.

Sic fere in libris hic versus legitur. Bene Ahrensius majore discrimine eum a versu sequenti sejunxit. Reliqua omnia mihi sana fore videntur, si eum ita scriptum cum versu antecedenti conjunxerimus: τὸν κάλαμον — εἶχον, τὼ χέρε τεινόμενος, περικλώμενος, εὐρὺν ἀγῶνα, i. e. „*arundinem autem a motu inflexam tenui, extensis manibus, incurvatus, late patens certamen.*“ Utrumque participium passivi generis est et accusativus εὐρὺν ἀγῶνα toti enunciato appositionis loco additus, de quo usu cf. Bion. II. 10 sq. „ἅρπασε τὰν Ἑλέναν ποθ' ὁ βωκόλος, ἄγε δ' ἐς Ἴδαν, Οἰνώνᾳ κακὸν ἄλγος“ et Matth. § 410 p. 916 ed. III.

---

coll. Verg. ecl. V. 60 sq. et loco p. 92 laudato XXIII. 20 sq. (ap. Ahr. Inc. id. V. 20 sq.). Hoc quam recte fecerit, alio tempore exponam. Praeterea mirum mihi accidit, quod vir doctissimus Calpurnii et Nemesiani prorsus immemor fuit. Hi enim non solum Vergilium ceterosque poetas Romanos, sed etiam Theocritum interdum ante oculos habuerunt. Ut pauca proferam, quae memoria teneo, aperte Calpurnius adumbravit Theocr. III. 9, qui versus ab Ahrensio ejectus est, ecl. III. 86 sqq., id. XI. 36 sq. (34 sq. Ahr.) ecl. II. 70, id. VIII. 82 (85 Ahr.) ecl. IV. 149 sqq. Nemesianus autem. id. VIII. 4 spectavit ecl. IV. 2. Alias horum poetarum imitationes, quas commemorare a consilio Ahrensii alienum fuisse videtur, silentio praeterire praestat. Fortasse enim aliquando copiosius disputabo, quid hi duo poetae et a Vergilio et a Theocrito mutuati sint. Neminem post doctam Hauptii dissertationem me reprehensurum puto. rursus Nemesiani eclogas s Calpurnii sejunxerim

Alter locus est ibid. v. 64: ἴσαι δὲ ψεύδεσιν ὄψεις. Haec verba ita nunc ab Ahrensio exarata sunt: ἴσα δ' ἦν ψεύδεσιν ὄψις. At quum omnes libri praepositionem ἐν praebeant et praeter unum K, qui numerum singularem ὄψις habet, omnes reliqui, ut videtur, etiam pluralem ὄψεις, locus fortasse ita scribendus est: ἴσᾳς (vel ἴσᾳς δ'), ἐν ψεύδεσιν ὄψεις, i. e. „*ut (autem) scis, in mendaciis ducenda sunt visa.*" De forma ἴσᾳς cf. id. XIV. 34. Ahr. de dial. Dor. p. 345. Collocatio defenditur formulis similibus, quae eodem modo orationi antepositae sunt. Cf. id. XVII. 136: δοκέω δ', ἔπος οὐκ ἀπόβλητον φθέγξομαι ἑσσομένοις ibique Wuestem. et add. etiam δοκῶ μέν Soph. Oed. Col. 997, ubi vid. Wunder. El. 61 ibique Schneidewin., qui excitavit v. 547, Alead. fr. 8., Eur. Suppl. 794 ibique Hermann.; δοκεῖτε Thuc. IV. 61. 2; δοκεῖ δέ μοι Thuc. I. 3. 1; ὁρᾷς et ὁρᾶτε, de quibus vid. Frotscher. ad Xen. Hier. I. 16. Non prorsus in Theocriti locum quadrant ὀΐομαι Ap. Rhod. III. 479. οἶδ' ἐγώ Soph. Oed. Col. 1197, quoniam utroque loco haec verba protasi et apodosi interjecta sunt. Quaedam exempla commemoraverunt etiam Matth. § 630. 2. g. p. 1521 ed. III. Krueger § 55. 4. n. 8. Ex eodem usu explicanda est scriptura a parte librorum oblata Eur. Med. 287: κλύω δ', ἀπειλεῖς, quam in scholis defendere memini virum dilectissimum Klotzium. Cf. tamen de eodem loco Kirchhoff. p. 95. Denique verba ἐν ψεύδεσιν ὄψεις interpretanda videntur ex locutione proverbiali, cui simile est, quod nostrates dicunt: „*Träume sind Schäume.*"

Nonnunquam in fine potissimum et in principio versuum vetustate aliquid in codicibus absorptum est. Illud factum puto id. XXIII. 2 (Inc. V. v. 2 Ahr.):

τὰν μορφὰν ἀγαθῶ, τὸν δὲ τρόπον οὐκέθ' ὁμοίω.

Ad duas conjecturas, quas de verbis extremis prolatas video, addo tertiam fortasse leniorem. Scribendum mihi videtur οὐκέθ' ὁμοίως „*non item pari modo,*" quibus verbis cogitatione addas ἀγαθῶ. Cf. Dem. Ol. III. 18: εὔξασθαι μέν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ῥᾴδιον, εἰς ταὐτὸ πάνθ', ὅσα βούλεταί τις, ἀθροίσαντα ἐν ὀλίγῳ· ἑλέσθαι δέ, ὅταν περὶ πραγμάτων προτεθῇ σκοπεῖν, οὐκέθ' ὁμ ορον. Prorsus si-

milis est hic locus, nisi quod in altero membro non repetendum est antecedens adjectivum, sed positum aliud ejusdem significationis.

Alterum accidisse opinor Mosch. I. 10 (II. 10 Ahr.)

ὡς μέλι φωνά,
ἐν δὲ χολὰ νόος ἐστὶν ἀνάμερος.

In verbis distinguendis assentior Ahrensio, neque tamen mihi ea antiquae interpolationi deberi videntur; nam explicant fortius quae antecedunt. At magnopere offendit me, quod v. 9 voci μέλι addita est particula ὡς, nihil additum est v. 10 vocabulo χολά. Non recte hoc se habere, sensit jam scriba codicis 11, qui correxit ὡς δὲ χολά. Neque tamen opus est hac particula, si scribitur πᾶν δὲ χολά; etenim pronomen πᾶν et vices illius sustinet et fortiorem reddit orationem. Fortius aliquid requiri, putavit etiam Hermannus, sed falso loco. Est autem πᾶν χολά *merum fel*, de quo pronominis usu cf. Theocr. id. III. 18 (21 Ahr.) τὸ πᾶν λίπος. id. XV. 20 ἅπαν βύπον. v. 148 χὠνὴρ ὄξος ἅπαν. Soph. Phil. 622 ἦ κεῖνος, ἡ πᾶσα βλάβη. v. 927 ὦ πῦρ σὺ καὶ πᾶν δεῖμα. El. 301 ὁ πάντ' ἄναλκις οὗτος, ἡ πᾶσα βλάβη. Herod. I. 32 πᾶν ἐστι ἄνθρωπος συμφορή. Apparet ex laudatis exemplis, in hoc dicendi genere pronomen πᾶς et attributi loco substantivis adjungi et genere neutro vel addito vel omisso articulo adverbialiter poni. Id significasse videtur Ameisius Adn. p. 41 n., disputans ibi contra Wunderum in Soph. Phil. v. 614.

Corrigenda et Addenda*).

Pag. 8 lin. 6 corr. *accommodatius.* — p. 10 lin. 7 corr. *proposito.* — p. 15 not. **) lin. 1 sq. corr. *antegressis.* — p. 25 lin. 35 corr. *Ex.* — p. 26 lin. 16 corr. *prooem.* lin. 17 sqq. aliud ellipsis exemplum reperitur ecl. VII. v. 29 sq., explicandum illud ex epigrammatum usu, quem spectavit h. l. poeta. — p. 27 lin. 22 sqq. add. ecl. IX. 24, ubi *et* ad efficiendam orationis alacritatem ita est repetitum, ut καί Theocr. id. III. 4 coll. ecl III. 65 et Wagner. Quaest. XXXV. 7. h. Minantis est *et* ecl. II. 44 coll. Theocr. id. III. 36. Wagner. l. l. 7. c.; magna cum gravitate in enunciati principio positum ecl. III. 56 coll. Theocr. id. I. 141. Wagner. 7. h. *Atque* eodem modo cum vi quadam prolatum est ecl. VII. 7, quo καί id. VII. 11. Cf. intt. utriusque poetae et Wagner. l. l. 22. — p. 29 lin. 24 add. id. XXIV. 7 et 8; recte tamen dixisse videor, in carminibus bucolicis hunc usum praeter ll. ll. non inveniri. — p. 32 lin. 5 cum ecl. VI. 80 conferri quodammodo potest id. I. 26, quem v. spectans Vergilius ecl. III. 30 alio genere repetitionis usus est. lin. 17 del. *ab.* — p. 33 lin. 15 cum. ecl. VIII. 83 conferas ecl. X. 3; nam utroque loco non aliter atque Theocr. id. VI. 5 quod positum erat in primo pede vocabulum, in quinto repetitum est, neglecta tamen caesura bucolica. not. lin. 18 corr. *exspectes.* — p. 35 lin. paenult. corr. *vss. 7 et 8.* — p. 37 lin. 24 corr. *Vergil.* — p. 40 lin. ult. corr. *Ahrensius.* — p. 41 not. lin. 6 sq. corr. *videtur.* — p. 45 lin. 8 corr. *Wordsworthius.* — p. 54 lin. 6 sqq. add. ecl. V. 46 sq. iis locis, de quibus dixi p. 27 sq. lin. 23 corr. *occupasset.* — p. 55 lin. lin. 1 corr. *stropharum.* — p. 57 lin. 6 corr. *VIII.* — p. 61 lin. 4 corr. *perspicio.* lin. 27. corr. 35. — p. 62 lin. 9 corr. *Graecis. lin.* 29 add. ecl. II. 24; conferendus est qui h. l. reperitur hiatus cum iis duobus, de quibus dixi in adnotatione (ecl. VII. 53. X. 12), quamquam, ut dixi p. 13, totus mihi versus e Graeco translatus videtur. — p. 63 lin. 5 corr. *pastores.* — p. 65 lin. 16 corr. *eximia.* — p. 72 lin. 24 corr. *caprarium.* — p. 79 lin. 18 corr. *attulit.* — p. 82 not. lin. 15 corr. *in tali.* — 85 lin. 36 corr. *rhythmica* — p. 94 lin. 15 corr ὁρᾷς.

*) Leviora quaedam librarii peccata lector benevolus facile ipse corriget.

Ex officina C. W. Vollbrechii.

HORAE SUCCISIVAE

SEU

ECLOGAE VIRGILII RUSTICAE

DORICO CARMINE DONATAE

A

GUIL. BANCKES.

AUS

DEM ORIGINAL DER GÖTTINGER UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK

HERAUSGEGEBEN

VON

Dr. W. MÜLDENER,

SECRETAIR DER K. UNIVERS.-BIBLIOTHEK ZU GÖTTINGEN.

GÖTTINGEN,

VANDENHOECK UND RUPRECHT.

1868.

DRUCK VON B. G. TEUBNER IN LEIPZIG.

SEINEM HOCHVEREHRTEN LEHRER

DEM HERRN

DIRECTOR Dr. K. A. SCHIRLITZ,

RITTER ETC.

AM TAGE SEINES 50JÄHRIGEN JUBILÄUMS,

ZUGLEICH DEM

TAGE DER EINWEIHUNG DES NEUEN GYMNASIALGEBÄUDES
ZU NORDHAUSEN

DEN 3. JANUAR 1868

IN TREUER LIEBE UND VEREHRUNG

DARGEBRACHT

VON SEINEM DANKBAREN SCHÜLER

DEM HERAUSGEBER.

Den Freunden Virgils biete ich in diesen Blättern nachstehende griechische Uebersetzung von sechs (der 1. 2. 3. 5. 7. u. 9.) Eclogen nach der Originalhandschrift der Göttinger Universitäts-Bibliothek (Cod. Ms. philol. 120 in 12°). Ueber die Person ihres Verfassers ist es mir leider nicht gelungen, etwas näheres zu ermitteln; über seine Arbeit selbst aber etwas hinzuzufügen, halte ich für unnöthig; möge sie bei dem kleinen Leserkreise, für den sie bestimmt ist, sich selbst das Wort reden! — Für den lateinischen Text liegt Jahns 4. Ausgabe, Leipzig, Teubner, 1865, zu Grunde.

Göttingen, am Weihnachtsfest 1867.

M.

ECLOGA I.

TITYRUS.

MELIBOEUS. TITYRUS.

M. Tityre, tu patulae recubans sub tegmine fagi
Silvestrem tenui Musam meditaris avena;
Nos patriae fines et dulcia linquimus arva.
Nos patriam fugimus; tu, Tityre, lentus in umbra
Formosam resonare doces Amaryllida silvas.

T. O Meliboee, deus nobis haec otia fecit:
Namque erit ille mihi semper deus; illius aram
Saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum
Ludere, quae vellem, calamo permisit agresti.

M. Non equidem invideo; miror magis: undique totis
Usque adeo turbatur agris. En, ipse capellas
Protenus aeger ago; hanc etiam vix, Tityre, duco.

ΕΚΛΟΓΗ α'.

ΤΙΤΥΡΟC.

ΜΕΛΙΒΟΙΟC καὶ ΤΙΤΥΡΟC.

Μ. Τίτυρε, τὺ σκιερᾶς ὑπὸ φάγω τᾷδ' ἀποκλινθείς,
Βωκολικὰν λεπτᾷ μῶσαν σύριγγι μελίσδες·
Ἁμὲς ὄρους πάτρας γλυκεράς τε λιπόντες ἀρούρας
Φεύγομες ἐσσύμενοι, τὺ δ' ἐνὶ σκιᾷ ὧδε τανυσθείς
Τὰν καλὰν ὑμνεῖς Ἀμαρυλλίδα, τοὶ δὲ μαθέντες
Ἀλλάλοις λαλέοντι τεὰν Ἀμαρυλλίδα δρυμοί.
Τ. Ὦ Μελίβοιε, Θεός με πόνων ἑκὰς ἱρὸς ἔθακε,
Τὸν δὲ Θεοῖς θασῶ ὁμότιμον, τοῖο δὲ βωμιὸς
Πολλάκις αἱμάξει ἐξ ἀμετέραν ὄϊς αὐλᾶν.
Τῆνος γάρ μοι βοῦς ἐχαρίξατο τᾷδε νομεῦσαι,
Κἄμ' αὐλῷ ῥαδινῷ μοι ἐφίμερον ὕμνον ἀείδειν.
Μ. Κοὔτοι τι φθονέω· θαῦμ' ἐντὶ γὰρ, οἷα κατ' ἀγρὼς
Δυσμενέων ταὶ χεῖρες ἐλωβήσαντο. Χιμαίρας
Ἦν' ὀλιγαπελέων παρελῶ, μακρὰν ὁδὸν ἕρπων.

Hic inter densas corulos modo namque gemellos,
Spem gregis, ah, silice in nuda connixa reliquit.
Saepe malum hoc nobis, si mens non laeva fuisset,
De coelo tactas memini praedicere quercus.
Sed tamen, iste deus qui sit, da, Tityre, nobis.

T. Urbem, quam dicunt Romam, Meliboee, putavi
Stultus ego huic nostrae similem, quo saepe solemus
Pastores ovium teneros depellere fetus.
Sic canibus catulos similes, sic matribus haedos
Noram: sic parvis componere magna solebam.
Verum haec tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

M. Et quae tanta fuit Romam tibi causa videndi?

T. Libertas, quae sera, tamen respexit inertem,
Candidior postquam tondenti barba cadebat;
Respexit tamen et longo post tempore venit,
Postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.
Namque fatebor enim dum me Galatea tenebat,
Nec spes libertatis erat, nec cura peculi.
Quamvis multa meis exiret victima septis,
Pinguis et ingratae premeretur caseus urbi;
Non umquam gravis aere domum mihi dextra redibat.

M. Mirabar, quid maesta deos, Amarylli, vocares;
Cui pendere sua patereris in arbore poma.
Tityrus hinc aberat. Ipsae te, Tityre, pinus,
Ipsi te fontes, ipsa haec arbusta vocabant.

T. Quid facerem? neque servitio me exire licebat,
Nec tam praesentes alibi cognoscere divos.
Hic illum vidi iuvenem, Meliboee, quotannis
Bis senos cui nostra dies altaria fumant.
Hic mihi responsum primus dedit ille petenti:
„Pascite ut ante boves, pueri; submittite tauros.“

M. Fortunate senex, ergo tua rura manebunt,

Ἀλλ' οὔτι σπεύδω, μέγα δ' ἄχθομαι, ἠνί χίμαιραν
Ἃ παρὰ ταῖς κορύλοις διδυματόκος ἔλλιπε ποίμνας
Ἀμετέρας τὰν ἐλπίδ' ἐπὶ χάλικ' ἄρτι τεκοῦσα.
Σύχν', ὦ σκαιάων γνωμᾶν! ὅτι κήδε' ἐφᾶπται
Ζεὺς ἀνάφηνε, δρύας προβαλὼν ἀργᾶτι κεραυνῷ·
Συχνὰ Διὸς τόδε σᾶμα, καὶ ὑψόθεν ἔκλαγε φωνᾷ
Ἐκ πρίνοιο κόραξ κοίλας μάλ' ἀναίσιος ὄρνις.
Τίτυρε, τίς Θεὸς ἦν δέ, τεῷ μάνυσον ἑταίρῳ.

Τ. Ἄστυ πολυθρύλλατον, ὅ κεν βροτοὶ αὐτίκα Ῥώμαν
Οὔνομα κικλάσκοντι, ὁμοιωθάμεναι ἄντην
Φαίνετο ἀμετέρῳ, τᾷ τόπριν πολλάκι ποίμνας
Σακιτᾶν ἀρνῶν παρελᾷν εἰώθαμες ἅβας.
Ὣς κυσὶ κύνδι' ἔφαν ἐπιείκελα, ματράσι τ' αἴγας,
Ὣς μεγάλα σμικροῖς μάλ' ὁμοίϊα ἰσοφαρίσδεν.
Ἀλλ' ἄρα πασάων μὲν ὑπείρεχεν ὑψόθι τόσσον
Τῶν ἄλλων πόλεων, ὅσον ἀνδάρων κυπάρισσοι.

Μ. Τίπτε δέ που ποτὶ ἄστυ τεὸν πόδα, Τίτυρε, εἵλκες;

Τ. Ἃ μὲν ἐλευθερία με κατήγαγεν, ἅ νυ παροῖσα,
Ὀψὲ μέν, ἀλλὰ καὶ ἦνθε περιπλομένων ἐνιαυτῶν,
Ὄψ', ὅτε λευκογένειος ἐπὶ ξυροῦ ἦνθον ἀκωκάν,
Πάντ' ἐμὲ χὠς Ἀμαρυλλὶς ἔχει, Γαλάτεια λέλοιπε.
Καὶ γὰρ, ναὶ Νύμφας, ὅκα μὲν Γαλάτεια κράτησε,
Οὐδ' ἔτ' ἐλευθερίας μέλεθ' ἁμῖν, οὐδέ τι πλούτω.
Πολλάκι τᾷ μὲν ἔπεμψα Θεοῖς ἐπιβώμιον ἀμνόν,
Πολλάκι δὴ τυρόεντα μέγαν λευκοῖο γάλακτος,
Οὐδ' ἔτι νοστήσαντι βέβριθεν δεξιὰ χαλκῷ.

Μ. Οὕνεκα τόσσα θεὼς ἀράσω δακρυχέοισα
Θαύμασδόν γ' Ἀμαρυλλί, τοι οὕνεκα ἦδ' ἐκέχυντο
Ὄρπακες μάλοισι καταβρίθοντες ἔρασδε·
Τίτυρος ὧδ' ἀπέην· πίτυς αὐτὰ τῆνον ἀπόντα,
Χαί κρᾶναι κατέκλαυσαν, ἰδὲ ῥωπήϊα πυκνά.

Τ. Τί ἄδραν; δουλείας οὐχ εὕρακ' ἄλλο τι μᾶχος,
Οὐδὲ θεὼς σφετέραις ὑποδεξαμένους φρεσὶν εὐχάς·
Αὐτόθιν ἠβαῖον τῆνον Μελίβοιε πότειδον,
Τῷ βωμοὶ κατ' ἔτος τοι δώδεκα καπνὸν ἰέντι.
Ὅς μάλα μοι πρόφρων τοιᾧδ' ἀπαμείβετο μύθῳ,
Βόσκετε, ὡς τόπριν βοῦς, παῖδες, ὑφήκατε ταύρως.

Μ. Ὦ μακαριστὲ γέρον, τὺ δὲ τὰν σαυτοῖο πατασεῖς

Et tibi magna satis, quamvis lapis omnia nudus
Limosoque palus obducat pascua iunco.
Non insueta graves tentabunt pabula fetas,
Nec mala vicini pecoris contagia laedent.
Fortunate senex, hic inter flumina nota
Et fontes sacros frigus captabis opacum.
Hinc tibi, quae semper vicino ab limite sepes
Hyblaeis apibus florem depasta salicti,
Saepe levi somnum suadebit inire susurro;
Hinc alta sub rupe canet frondator ad auras,
Nec tamen interea raucae, tua cura, palumbes,
Nec gemere aëria cessabit turtur ab ulmo.

T. Ante leves ergo pascentur in aethere cervi,
Et freta destituent nudos in litore pisces;
Ante, pererratis amborum finibus, exsul
Aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim,
Quam nostro illius labatur pectore vultus.

M. At nos hinc alii sitientes ibimus Afros,
Pars Scythiam et rapidum Cretae veniemus Oaxen
Et penitus toto divisos orbe Britannos.
En umquam patrios longo post tempore fines,
Pauperis et tuguri congestum caespite culmen
Post aliquot, mea regna, videns mirabor aristas?
Impius haec tam culta novalia miles habebit,
Barbarus has segetes: en, quo discordia cives
Perduxit miseros; en, quis consevimus agros!
Insere nunc, Meliboee, piros, pone ordine vites!
Ite meae, felix quondam pecus, ite capellae!
Non ego vos posthac, viridi proiectus in antro,
Dumosa pendere procul de rupe videbo;
Carmina nulla canam; non, me pascente, capellae,
Florentem cytisum et salices carpetis amaras.

T. Hic tamen hanc mecum poteras requiescere noctem

ΕΚΛΟΓΗ α'.

Ἀρκεσθεὶς τούτοισι, τά που μάλα νειόθι λίμνας
Κεῖντο βαθυσχοίνῳ κεκαλυμμέν' ὑπ' ἰλύος, ἐν δὲ
Μυρίον εἰλύσας ποταμὸς χεράδων περίχευε.
Οὔποτέ τοι κερσεῦντι ἀήθεα τρώξιμον αἶγες,
Οὐδὲ νόσος ποίμνας τοῦ πλατίον ἔς τε καταρρεῖ.
Ὦ μακαριστὲ γέρον, ποτὶ τὠγγύθεν ἱερὸν ὕδωρ
Κεκλιμένος ποταμῷς τε, τὺ δειλινὸν αἰθριοκοιτεῖς.
Ὥδε καλὸν βομβεῦσαι ἐφ' αἱμασιαῖσι μέλισσαι
Βοτρυδὸν πεποταμέν' ἐν ἄνθεσιν εἰαρινοῖσι
Πολλάκι κεκλιμένον μνάσοντί τυ ἀδέος ὕπνῳ.
Πολλάκι δή τοι καὶ δρυτόμος ποταείσεται ἀνήρ
Ἐκ ῥίω ὑλάεντος ἀείδων· οὐδέ τι φάσσαι
Ὧδ' ἀμπαύσονται, αἳ καὶ τεὸν ἀδὺ τέτυκται,
Οὐδὲ στένειν ἀπὸ τᾶς πτελέας μελιδάματα τρυγών.
Τ. Θᾶττον τὼς ἐλάφως βοσκασεῖ ἄσπετος αἰθήρ,
Ἰχθὺς χὠ ποταμὸς τάχ' ἐπὶ ξηροῖσι καθιξεῖ,
Τῶν σφετέρων τε τάχιον ἐρημάσδοντες ἑταίρων,
Ἢ Ἄραριν Παρθὸς πίετ', ἢ τὸν Τίγριδα Κέλται,
Δαίμονος ἢ τούτῳ ποκα λασεύμεσθα προσώπου.
Μ. Ἀμὲς ἑκαστοτέρω πάτρας δέ τοι ἄλλυδις ἄλλοι
Φεύγοντες, Λιβύων ἄπιμες πολυδίψιον αἶαν,
Ἄλλοι δὲ Σκυθίαν, Κρῆτας ἄλλοι ποτ' Ὀάξαν,
Καὶ Βρετανοὺς ἄλλων σχισθέντας ἀπόπροθεν ἐθνῶν.
Ἔσται δὴ τοῦτ' ἄμαρ ὁπάνικα πατρίος ἀγροὺς
Εἰσορόω νόστοιο μεμναμένος, ἠδὲ ποθάσας
Οἰκί' ἰδεῖν λειφθέντα περιπλομένων ἐνιαυτῶν,
Θαυμαξῶ πλεκτᾶς καλύβας βωλώδεα τοῖχον;
Νειοὺς δ', αἳ πονέοντο ποτὶ σπόρον, ἐχθρὸς ἀμασεῖ
Βάρβαρος ἀσταχύας· πότιδ' ὅσσ' ἔρις ἄλγε' ἔθακε
Οὐλομένα, σπορίμων δὲ χάρις πότιδ' ἐς τί ποθέρπει;
Νῦν ἀπίους Μελίβοι' ἐγκέντρισδ' ὄρχον ἀν' ἰθύν·
Σίτ' ἐμαί, ὦ τόπριν μάκαρες πάνυ, σίττα χίμαιραι!
Ὕπτιος εἰν ἄντροισι τεθαλόσιν οὐχὶ τανυσθείς
Ἐν ῥίῳ ὑλάεντι τὰς ὕστερον αὖθις ἰδησῶ
Τηλόθ' ἀπὸ σκοπιᾶς κρεμάσαι κάρα· οὐκέτ' ἀείδω·
Οὔ μευ βοσκομένῳ ποίας κορέσεσθε, χίμαιραι,
Κερσεῦσαι κύτισόν τε, καὶ ἰτέαν αἰὲν ἀδευκῆ.
Τ. Ἄδιον ἐν τὤντρῳ παρ' ἐμὶν τὰν νύκτα διαξεῖς

Fronde super viridi: sunt nobis mitia poma,
Castaneae molles et pressi copia lactis,
Et iam summa procul villarum culmina fumant,
Maioresque cadunt altis de montibus umbrae.

ΕΚΛΟΓΗ α'

Ἐν χλωρᾶς σχίνοιο χαμευνίσιν. Ἐντί γε μᾶλα,
Κάστανά θ' ἁβρὰ ἐμίν, ταρσοί τ' ὑπεραχθέες ἐντί.
Ἐκ κωμῶν δὴ καπνὸν ἀποθρώσκοντα ὁρῶμεν
Τηλόθεν, ἠδὲ σκιὰς μακύνοντ' οὔρεα μακρά.

ECLOGA II.

ALEXIS.

Formosum pastor Corydon ardebat Alexim,
Delicias domini, nec, quid speraret, habebat;
Tantum inter densas umbrosa cacumina fagos
Assidue veniebat. Ibi haec incondita solus
Montibus et silvis studio iactabat inani:
O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas?
Nil nostri miserere? mori me denique coges.
Nunc etiam pecudes umbras et frigora captant,
Nunc virides etiam occultant spineta lacertos,
Thestylis et rapido fessis messoribus aestu
Allia serpyllumque herbas contundit olentes;
At mecum raucis, tua dum vestigia lustro,
Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.
Nonne fuit satius, tristes Amaryllidis iras
Atque superba pati fastidia? nonne Menalcan,
Quamvis ille niger, quamvis tu candidus esses?
O formose puer, nimium ne crede colori:

ΕΚΛΟΓΗ β΄.

ΑΛΕΞΙΣ.

Θερμὸς Ἔρως Κορύδωνα καλῶ ποκ' Ἀλέξιδος ἦθε,
Κυριακῶ γλυκυμάλω, ἐπέπταρόν οἱ δὲ Ἔρωτες.
Ὃν θυμὸν κατέδων μῶνον σκιερὰς ὑπὸ φαγώς
Ἦλυθεν ἅμαρ ἐπ' ἄμαρ, ἰδ' αἰλινὸν ὧδ' ἀποκλινθείς
Οὔρεσι καὶ δρυμοῖς ἀνεμώλια τοιάδ' ἄειδεν·
Ὦ δυσέρως, ὦ Ἄλεξι, μελῶν λόγον οὐδένα ποιεῖς;
Οὔ μ' ἐλεεῖς δύσθυμος; ἀποθνάσκεν με ποιασεῖς.
Κτάνεα νῦν δ' ἅλσει ἐπὶ δασκίῳ αἰθριοκοιτεῖ,
Χλωρὸς νῦν καὶ σαῦρος ἐφ' αἱμασιαῖσι καθεύδει·
Θέστυλις ἀμώντεσσι κεκμακόσι καύματι λυγρῷ
Ὁλκοῦ χ' ἑρπύλλου θρύπτει εὐωδέα ποίαν.
Μοὶ δέ τυ ἰχνεύοντι, κακὸν θέρος ἀνίκα φρύττει,
Ἠχέτα ποππύσδει τέττιγξ, περὶ δ' ἴαχεν ὕλα.
Τλασῶ μὰν Ἀμαρυλλίδ', ἐπεὶ τὰν τλᾶναι ἄμεινον,
Κἂν παντῷ μέγα κόμπον ἄρῃ· τλασῶ δὲ Μενάλκαν,
Κἂν τύγε καλὸς ἔης, αὐτὸς δ' ἦν ἁλιόκαυστος.
Ὦ τὸ καλὸν ποθορῶν, μὴ καυχῶ κάλλεϊ τόσσον!

ECLOGA II.

Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Despectus tibi sum, nec, qui sim, quaeris, Alexi,

Quam dives pecoris, nivei quam lactis abundans.
Mille meae Siculis errant in montibus agnae;

Lac mihi non aestate novum, non frigore defit.
Canto, quae solitus, si quando armenta vocabat,
Amphion Dircaeus in Actaeo Aracyntho.
Nec sum adeo informis: nuper me in litore vidi,
Quum placidum ventis staret mare. Non ego Daphnim
Iudice te metuam, si numquam fallit imago.

O tantum libeat mecum tibi sordida rura
Atque humiles habitare casas, et figere cervos,
Haedorumque gregem viridi compellere hibisco:
Mecum una in silvis imitabere Pana canendo.

Pan primus calamos cera coniungere plures

Instituit: Pan curat oves oviumque magistros.
Nec te poeniteat calamo trivisse labellum:
Haec eadem ut sciret, quid non faciebat Amyntas?
Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula, Damoetas dono mihi quam dedit olim,
Et dixit moriens: „Te nunc habet ista secundum.“
Dixit Damoetas; invidit stultus Amyntas.
Praeterea duo, nec tuta mihi valle reperti,
Capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo,
Bina die siccant ovis ubera: quos tibi servo.
Iam pridem a me illos abducere Thestylis orat,
Et faciet, quoniam sordent tibi munera nostra.
Huc ades, o formose puer: tibi lilia plenis
Ecce ferunt Nymphae calathis; tibi candida Nais,
Pallentes violas et summa papavera carpens,
Narcissum et florem iungit bene olentis anethi;
Tum, casia atque aliis intexens suavibus herbis,

ΕΚΛΟΓΗ β'.

Λευκὰ μέν ἐντι λίγουστρα καὶ ἁ γραπτὰ ὑάκινθος,
Ἀλλ' ἁ συλλέγεται, τὰ δὲ τάκεται ἀνίκα πίπτῃ.
Ὦ δυσέρως, ὤγαν, τύ με ἐνδιάθρυπτες Ἄλεξι,
Οὐ ζατεῖς ἐν δᾷ κἀγών τις φαίνομαι ἥμες,
Κυδιόων ἀγελᾷ λευκᾷ λευκῷ τε γάλακτι.
Καὶ γὰρ χιλιάδες μάλων μοι ἀν' ὥρεα μακρά
Ἐν νάσῳ Σικέλᾳ βοτάναις διαπιαίνονται,
Καὶ γάλα μ' οὐ λείπει οὔτ' ἐν θέρει οὔτ' ἐν ὀπώρᾳ.
Συρίσδεν δὴ τοιάδ' ἐπίσταμαι, οἷα νομεύσας
Ἀμφίων Διρκαῖος ἐν Ἀκταίῳ Ἀρακύνθῳ.
Οὐ γάρ θην οὐδ' εἶδος ἔχω κακὸν, ὥς με λέγοντι,
Οὐ γὰρ πρὰν ἐς πόντον ἐπέβλεπον, ἢς δὲ γαλάνα·
Δάφνιδι μὲν κάλλος κατὰ σὸν νόον ἰσοφαρίσδεν
Ἔλπομαι, εἰ παντᾷ γε σκιαὶ τὰ ἀληθέα φαντί.
Μοὶ τὺ συναγραυλεῖν ὡς ὤφελες ἀγραυλεῦντι
Ἐν πλεκταῖς καλύβαις, ἐλάφως ἰδὲ βαλλέμεν ἀργώς,
Τάς τ' αἶγας παρελᾷν ῥαδινῶ σὺν πλέγματ' ἰβίσκω.
Ἁδὺ μελισδόμενος τὺ δ' ὑπὸ δρυσὶν ἢ ὑπὸ πεύκαις
Κλινθείης, μετὰ Πᾶνα τὸ δεύτερον ἆθλον ἀποισών.
Πὰν πρᾶτος ποίασεν ἐϋπάκτοιο μελίπνουν
Ἐκ καρῶ σύριγγα καλὰν περὶ χεῖλος ἑλικτάν·
Πὰν δὴ τὰν ποίμναν φιλέει μέγα, ποιμένα τ' ἴσως·
Οὐδέ τυ χρὴ αἰδοῦς ὅτι σύριγξ εἴχετο χείλευς.
Ταῦτα δ' ἐπιστάμεναι τί ἂν οὐ ποίησεν Ἀμύντας;
Σύριγγ' ἑπτάκτυπον τὰν καράπλαστον ἀνίσοις
Κωνείοισιν ἔχω, Δαμοίτας μοί νιν ἔλειπε,
Κἤφ' ἀποθναξόμενος, Τὺ δὲ τὰν νῦν δεύτερος οἰσεῖς.
Εἶπεν Δαμοίτας, βασκαίνων τάκετ' Ἀμύντας.
Ἐκ βήσσας χιμάρως δύ' ἀποσφάγος ἄγον ἐλάσσας,
Τᾷ καὶ τᾷ λευκαῖσι κατεστίκτως φολίδεσσι,
Τοῖς δύ' ὄἵς γάλ' ἔχοντι, ἐγὼ τιν τὼς δὲ φυλάσσω.
Τὼς δέ με ἀμφοτέρως ἁ Θέστυλις ἁ μελανόχρως
Αἰτεῖ, καὶ δωσῶ, ὅτι μευ λόγον οὐδένα ποιεῖς.
Ἔρποις, ὦ κάλ' Ἄλεξι καὶ ἐνθάδε· τοὶ κρίνα πέμπον
Ἀνθοδόκοις Νύμφαι ταλάροις· τοὶ λευκοπάρῃος
Νάϊς λευκόϊον χ' ἁπαλὰν μάκωνα δραπεῦσα,
Ναρκίσσῳ ἁρμόσδει, ἀνήθῳ τ' ἀμβρότῳ ὀδμᾷ·
Ἐν κασίαν δὲ πλέκοις', ἐν δ' ἄνθεα ἁδὺ πνέοντα,

Mollia luteola pingit vaccinia caltha.
Ipse ego cana legam tenera lanugine mala
Castaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat;
Addam cerea pruna-honos erit huic quoque pomo-,
Et vos, o lauri, carpam et te, proxima myrte:
Sic positae quoniam suaves miscetis odores.

Rusticus es, Corydon; nec munera curat Alexis,
Nec, si muneribus certes, concedat Iollas.
Heu heu, quid volui misero mihi? floribus Austrum
Perditus et liquidis immisi fontibus apros.
Quem fugis, ah, demens? habitarunt di quoque silvas

Dardaniusque Paris. Pallas, quas condidit arces,

Ipsa colat; nobis placeant ante omnia silvae.
Torva leaena lupum sequitur, lupus ipse capellam,
Florentem cytisum sequitur lasciva capella;
Te Corydon, o Alexi: trahit sua quemque voluptas.
Adspice, aratra iugo referunt suspensa iuvenci,
Et sol crescentes decedens duplicat umbras;
Me tamen urit amor: quis enim modus adsit amori?

Ah, Corydon, Corydon, quae te dementia cepit!
Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est.
Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus,
Viminibus mollique paras detexere iunco?
Invenies alium, si te hic fastidit, Alexim.

ΕΚΛΟΓΗ β'.

Ἀγχούσας ἁπαλὰς ξανθᾷ ἐμιήνατο κάλθᾳ.
Μᾶλα δέ τιν αὐτὸς τὸ καλὸν χνοάοντα ποτοιςῶ,
Καστανέας καρύας τε, τὺ τὰς, Ἀμαρυλλὶ, φιλάσας,
Κηρώδη βράβυλ' ὅσσα τὰ δένδρων ἄκρα φέροντι
Κέρσας, λειριόεσσα χάρις καὶ τοῖσιν ὀπαδεῖ.
Δρέψω δὴ δάφνας πρᾶτον, μετέπειτα δὲ μύρτως,
Οὕτω πλεχθεῖσαι λαρὸν προεήκατ' ἀϋτμάν.
Βώτας εἶ, Κορύδων, ἔτι δ' οὐ μεμάθακεν Ἄλεξις
Ἀγροίκοις φιλέειν δώροις, οὐδ' εἴας' Ἰώλας.
Ὤ μοι ἐγών! τί πάθοιμι; μεσαμβρινὸν οὖρον ἔφηκα
Ἄνθεσι, καὶ κρανᾶν ἱρᾶν καπρὼς ἐπότιξα.
Τίπτε, τάλαν, φυγέεις; Τοὶ δαίμονες ἄλσεα ναῖον,
Δαρδάνιός τε Πάρις· τᾷ ῥ' οἱ κλυτὰ δώματ', Ἀθάνα,
Χρύσεα μαρμαίροντα τετεύχαται, οἰκοδομήσαι,
Ὕστερα πάντ' ἦν ἄμμι βαθείας τάρφεος ὕλας.
Ἁ βλοσυρά γε λέαινα λύκον, λύκος αἶγα διώκει,
Ἁ αἶξ τὸν κύτισον, κἀγὼν ἐπί τιν μεμάναμαι,
Ὣς πᾶσιν μὲν θυμὸς ἐπέσσυται ἄλλυδις ἄλλῳ.
Ἠνὶ δὲ βῶς, Ζυγὰ τοὺς μὲν ἐΰξοα ἀμφὶς ἐέργει,
Ἕλκοντ' ἐκ νειοῖο βαθείας πακτὸν ἄροτρον,
Τηλόθι δυσσομένω δ' Ὑπερίονος ἠνὶ κατῆνθον
Βαλλόμεναι κορύφας ὠρῶν σκιαὶ αἰπηέντων.
Ἀλλὰ καταίθομ' ἔγωγε, φέρων ὑποκάρδιον ἕλκος
Κύπριος ἐκ μεγάλας, τᾶς οὐδέ τις ἐξεκορέσθη.
Ὤ Κορύδων, Κορύδων, πᾷ τὰς φρένας ἐκπεπότασαι!
Ἀμιτόμως σκιεραῖς ὀροδαμνίσιν ἔλλιπες οἶνας.
Τίπτε δ', ἐτωσιοεργὲ; τὸ χρασιμὸν οὐκ ἐπόνασας,
Σχοίνῳ ἐφαρμόσδων ἕλικας μαλακῷ πολυγνάμπτους;
Εὑρασεῖς τὸν Ἄλεξιν ἴσως καὶ καλλίον' ἄλλον.

ECLOGA III.

PALAEMON.

MENALCAS. DAMOETAS. PALAEMON.

M. Dic mihi, Damoeta, cuium pecus? an Meliboei?
D. Non, verum Aegonis: nuper mihi tradidit Aegon.
M. Infelix o semper, oves, pecus! ipse Neaeram
Dum fovet ac, ne me sibi praeferat illa, veretur,
Hic alienus oves custos bis mulget in hora,
Et succus pecori et lac subducitur agnis.
D. Parcius ista viris tamen obiicienda memento:
Novimus, et qui te, transversa tuentibus hircis,
Et quo-sed faciles Nymphae risere-sacello . . .
M. Tum, credo, quum me arbustum videre Miconis
Atque mala vites incidere falce novellas.
D. Aut hic ad veteres fagos quum Daphnidis arcum
Fregisti et calamos: quae tu, perverse Menalca,
Et, quum vidisti puero donata, dolebas,
Et, si non aliqua nocuisses, mortuus esses.

ΕΚΛΟΓΗ γ'.

ΠΑΛΑΙΜΩΝ.

ΜΕΝΑΛΚΑΣ. ΔΑΜΟΙΤΑΣ. ΠΑΛΑΙΜΩΝ.

ΜΕ. Εἶπ', ὦ Δαμοίτα, τίνος αἱ βόες; ἢ Μελιβοίου;
ΔΑ. Οὔκ· ἀλλ' Αἴγωνος, βόσκεν δέ μοι αὐτὸς ἔδωκε.
ΜΕ. Δειλαῖαί γ' αὗται! ποθ' ἑὰν κώμασδε Νέαιραν
Βώκολος, ἐδδείσας μὴ δεύτερ' ἐμεῖο φέρηται,
Βῶκος δ' ἀλλότριος πόρτις δὶς ἀμέλγει ἐν ὥρᾳ,
Τανόθι χά ποίμνα ξηρά, ξηροὶ δὲ τοὶ ἀμνοί.
ΔΑ. Ὀξέα κεκλαγὼς μὴ τοῖα λέγ' ἀνδράς' ὀνείδη!
Οἶδαμες ὅστε τυ, λόξ' ὅταν ἔβλεπον αἴδε χίμαιραι,
Ἠδ' ἐνὶ ᾧ τεμένει, Νύμφαι δέ τοι ἀδὺ γέλαξαν.
ΜΕ. Τανίκα μὰν οἶμαί, μ' ὁκόταν δενδρῶνα Μύκωνος
Ὥρησαν χαλκῷ περιτάμνειν, κ' ἀμπέλος ἄβας.
ΔΑ. Ἦ ποτὶ ἀρχαῖαν φαγὸν καλάμως ὅκα ῥῆξας
Δάφνιδος, ἠδὲ τὰ τόξα· τὺ δ', ὦ κακέ, καὶ τότ' ἐτάκευ
Βασκαίνων δώροις ἐπὶ παιδὸς μήποτ' ὀνοστοῖς,
Καί νιν λωβᾶσθαί τοι φίλτερον ἢ ζοὸν ἦμες.

M. Quid domini faciant, audent quum talia fures?
Non ego te vidi Damonis, pessime, caprum
Excipere insidiis, multum latrante Lycisca?
Et quum clamarem „Quo nunc se proripit ille?
„Tityre, coge pecus!", tu post carecta latebas.
D. An mihi cantando victus non redderet ille,
Quem mea carminibus meruisset fistula caprum?
Si nescis, meus ille caper fuit: et mihi Damon
Ipse fatebatur, sed reddere posse negabat.
M. Cantando tu illum..? aut unquam tibi fistula cera
Iuncta fuit? Non tu in triviis, indocte, solebas
Stridenti miserum stipula disperdere carmen?
D. Vis ergo, inter nos, quid possit uterque, vicissim
Experiamur? Ego hanc vitulam-ne forte recuses,
Bis venit ad mulctram, binos alit ubere fetus-
Depono; tu dic, mecum quo pignore certes.
M. De grege non ausim quidquam deponere tecum:
Est mihi namque domi pater, est iniusta noverca,
Bisque die numerant ambo pecus, alter et haedos.
Verum id, quod multo tute ipse fatebere maius-
Insanire libet quoniam tibi-, pocula ponam
Fagina, caelatum divini opus Alcimedontis,
Lenta quibus torno facili superaddita vitis
Diffusos hedera vestit pallente corymbos.
In medio duo signa, Conon, et quis fuit alter,
Descripsit radio totum qui gentibus orbem,
Tempora quae messor, quae curvus arator haberet.
Necdum illis labra admovi, sed condita servo.
D. Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit,
Et molli circum est ansas amplexus acantho,
Orpheaque in medio posuit silvasque sequentes.
Necdum illis labra admovi, sed condita servo.
Si ad vitulam spectas, nihil est quod pocula laudes.
M. Nunquam hodie effugies; veniam, quocumque vocaris.
Audiat haec tantum... vel qui venit, ecce, Palaemon.
Efficiam, posthac ne quemquam voce lacessas.
D. Quin age, si quid habes; in me mora non erit ulla,

ΕΚΛΟΓΗ γ΄.

ΜΕ. Δεσποτικὰ τίς φρὴν, εἰ δώλω κύντερον οὐδέν;
Οὐκ ἴδον, ὦ φθονερὸν τὺ καὶ ἀπρεπὲς ἀνδρίον ἴσως,
Δάμωνός τυ τὸν αἶγα πρώαν κλέψαντα, Λυκίσκα,
Ὅ οἱ τᾶν ὀΐων ἔπεται σκοπὸς, ὅκκα βάϋσδεν;
Ὡς δ' ἔκραξα ἰδὼν, πᾶ δ' ὦ 'γαθὲ, τοὺς πόδας ἔλκεις;
Τίτυρ' ἔλα ποίμναν! τὺ τότ' ἐν δονακῶνι καλύφθας.

ΔΑ. Δαλονότ' οὐ τόνδ' αἶγα δικαίως ἆθλον ἔνεικα,
Ὅκκα μὲν ἐν σύριγγι καλᾷ ἔφθαξα ἐρίσδων;
Ἆρ' οὐκ οἶσθα; Τράγος τότ' ἐμεῦ ἦς, καὶ τόγε Δάμων
Αὕτως ὡμολόγας', ἀλλ' οὐχ οἷός τε νέμεσθαι.

ΜΕ. Αὐτὸν ἀειδόμενος τύ, ὦ ἀνδρίον; ἢ πόκ' ἐκτάσω
Ἐκ καρῶ σύριγγα; Τὶν οὐ καθ' ἁμαξιτὸν ἀρκεῖ
Τᾶς φλυάρας αὐλὸν καλάμας ποππύσδεν ἔχοντι;

ΔΑ. Χρήσδεις ὧν ἐσιδεῖν τίς ἀμοιβαδὶς ἐστιν ἀρείων
Βωκολιαστάς; ἠνὶ δ' ἐγὼν τὰν πόρτιδα θασῶ,
Ὅ δύ' ἔχοις' ἀμνὼς ποταμέλξεται ἐς δύο πέλλας.
Ἀλλὰ τὺ εἰπέ, τί μοι χρήσδεις καταθεῖναι ἄεθλον;

ΜΕ. Οὐκ ἀπὸ τᾶς ἀγελᾶς τι, ἐπεὶ χαλεπός θ' ὁ πατήρ μευ,
Χ' ἁ μάτηρ, τὰ δὲ μᾶλα ποθέσπερα πάντ' ἀριθμεῦντι.
Ἄθλόν τιν θασῶ δὲ, ὅ κεν πολὺ λώϊον ἔσται,
Ὅττ'. ὀλοαῖς μανίαισι κακᾶς ἠράσσαο νίκας,
Φαγινὰ κισσύβι', ἔργον θείου Ἀλκιμέδοντος,
Τοῖς περὶ μὲν χείλη μαρύεται ὑψόθι κισσός,
Βοτρυόπαις δὲ πέριξ κέχυτ' ἄμπελος ἰθὺ κορύμβοις.
Ἐν μέσσῳ τέρατ' ἔντι, Κόνων, καὶ τίς ποτε ὦλλος,
Κερκίδι ἐμφαίνων ὁδὸν οὐρανίαν θνατοῖσι,
Κυρτὸς ὅκ' ὄγμον ἄγῃ, ὅκα λαιοτόμῃσιν ἀγροῖκος.
Οὐδ' ἔτι πω ποτὶ χεῖλος ἐμὸν θίγεν, εἰσὶ δ' ἄχραντα.

ΔΑ. Αὐτὸς χὠ Ἀλκιμέδων δύο πώματά μοι ἐπόνασε,
Παντᾷ δ' ἀμφ' ὦτας περιπέπταται ὑγρὸς ἄκανθος.
Ὀρφέα τ' ἐν μέσσῳ ἐπονάσατο θεῖον ἀοιδόν,
Ὕλας θ' ἃς θέλγων θείαισι κατήγαγ' ἀοιδαῖς.
Οὐδ' ἔτι πω ποτὶ χεῖλος ἐμὸν θίγεν, εἰσὶ δ' ἄχραντα.
Πώματα δ' οὐκ ἂν ἄμωμα, ἐπὰν μόσχῳ παρισωθῇ.

ΜΕ. Τάμερον οὐ Ἀκφευξεῖς, πᾶ κεν λῇς ἐρῳῦ ἕκατι.
Ἀλλὰ Παλαίμων ἤδη ἐπάκοος ἔσσεται ἀμῶν,
Ὥστε τυ μὰν παύσω λάλον ὕστερον αὖθις ἔσεσθαι.

ΔΑ. Εἶα λέγ' εἴ τι λέγεις, οὐ γὰρ ἀμβάλλομ' ἀοιδάν,

ECLOGA III.

Nec quemquam fugio: tantum, vicine Palaemon,
Sensibus haec imis-res est non parva-reponas.
P. Dicite, quandoquidem in molli consedimus herba,
Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos,
Nunc frondent silvae, nunc formosissimus annus.
Incipe, Damoeta, tu deinde sequere, Menalca,
Alternis dicetis: amant alterna Camoenae.
D. Ab Iove principium, Musae: Iovis omnia plena;
Ille colit terras, illi mea carmina curae.
M. Et me Phoebus amat: Phoebo sua semper apud me
Munera sunt, lauri et suave rubens hyacinthus.
D. Malo me Galatea petit, lasciva puella,
Et fugit ad salices, et se cupit ante videri.
M. At mihi sese offert ultro meus ignis, Amyntas,
Notior ut iam sit canibus non Delia nostris.
D. Parta meae Veneri sunt munera: namque notavi
Ipse locum, aëriae quo congessere palumbes.
M. Quod potui, puero silvestri ex arbore lecta
Aurea mala decem misi; cras altera mittam.
D. O quoties et quae nobis Galatea locuta est!
Partem aliquam, venti, divûm referatis ad aures.
M. Quid prodest, quod me ipse animo non spernis, Amynta,
Si, dum tu sectaris apros, ego retia servo?
D. Phyllida mitte mihi: meus est natalis, Iolla;
Quum faciam vitula pro frugibus, ipse venito.
M. Phyllida amo ante alias: nam me discedere flevit,
Et „Longum, formose, vale, vale!“ inquit, Iolla.
D. Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres,
Arboribus venti, nobis Amaryllidis irae.
M. Dulce satis humor, depulsis arbutus haedis,
Lenta salix feto pecori, mihi solus Amyntas.
D. Pollio amat nostram, quamvis est rustica, Musam:
Pierides, vitulam lectori pascite vestro.
M. Pollio et ipse facit nova carmina; pascite taurum,
Iam cornu petat et pedibus qui spargat arenam.
D. Qui te, Pollio, amat, veniat, quo te quoque gaudet;
Mella fluant illi, ferat et rubus asper amomum.
M. Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Maevi,

ΕΚΛΟΓΗ γ'.

Οὐδ' ἐπιεικτὸν ὁρᾷς· Τὺ δὲ πλατίον ἠνὶ, Πάλαιμον,
Ταῦτα μὲν, ἢ μεγάλ' ἐντὶ, ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σαῖσι.
ΠΑΛ. Ἄισατ' ὅτ' ἐν χόρτοιο χαμευνίσιν ἐκλίνθημες·
Βάλλει πᾶς μὲν ἀγρὸς, βάλλει δρῦς ὑψόθι καρπούς,
Τηλεθάει δρυμός τε καὶ ἄφθονός ἐστ' ἐνιαυτός.
Ἄρχεο ὢν Δαμοίτα, ἐφεψάσθω δὲ Μενάλκας,
Ἀδύ τε ταῖς Μώσαισιν ἀμειβόμενοι ὀπὶ καλῇ.
ΔΑ. Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, Διὸς πλήθουσιν ἅπαντα·
Αὐτῷ γᾶ τε μέμαλε, καὶ ἀμῶν· μῶσα καὶ ᾠδά.
ΜΕ. Καὶ γὰρ ἐμ' ὠπόλλων φιλέει μέγα· δῶρα φυλάσσω
Τῷ χαρίεντα, δάφναν χ' ἁδὺ γραπτὰν ὑάκινθον.
ΔΑ. Βάλλει γαυροτέρα μόσχω Γαλάτειά με μάλοις,
Καὶ βάλλοισα φύγεν, καὶ φεύγοις' ἔλδεθ' ὁρᾶσθαι.
ΜΕ. Αὐτομάτως δ' ἀντῶν μ' ἐκμαίνει λεῖος Ἀμύντας,
Γνωστὸς τόσσον ἐμοὶ, ὅσσον Ἄρτεμίς ἐντι κύνεσσι.
ΔΑ. Οἶδ' ὅτι μευ δωσῶ τᾷ παρθένῳ αὐτίκα δῶρα,
Φάσσας γὰρ ποτίδερκὸν, ὅπευ ποιεῦντο καλιάς.
ΜΕ. Παιδὶ δ' ἐγὼ δέκα μᾶλα φέρω τὰ χρύσεα, δένδρω
Ὑλώδους καθελὼν, καὶ αὔριον ἄλλα οἱ οἰσῶ.
ΔΑ. Ὦ ποσάκις, καὶ ποῖα ἐμὶν Γαλάτεια λάλησε,
Τῶν ἀμόθεν καὶ Ζανὸς ἐπὶ θρόνον οἴσετ' ἀηταί.
ΜΕ. Μεῦ θυμῷ δέδεσαι, τί δὲ τὸ πλέον, ὦ κάλ' Ἀμύντα,
Εἰ πληγᾶν ἔχομαι, ὅκα θηρία πάντα διώκεις;
ΔΑ. Φυλλίδα πέμψον ἐμοὶ, τάδε μοι τὰ γενέθλι' Ἰώλα,
Τᾷ Δαοῖ τεύξαντι θαλύσια ἔρχεο καὶ τύ.
ΜΕ. Ἀλλ' ἐπὶ Φυλλίδ' ἔγωγε καταίθομαι· ἅ γ' ἀπιόντα
